ACCADEMIA DI MEDICINA ★ DI TORINO

E IV
2

D. CAROLI GVILIELMI
POERNER

MATERIA
MEDICA.

CAROLI GVILIELMI POERNER

MEDICINAE DOCTORIS

SELECTVS MATERIAE MEDICAE

IN VSVM

PRAELECTIONVM ACADEMICARVM.



LIPSIAE,

Apud CHRISTIANVM GOTTLOB HILSCHER,

MDCCLXVII.

PRAEFATIO.

Miraberis forte, L. B. cur librorum, de materia medica conſcriptorum, numerum a me auctum conſpicias. Haud exiguum eundem eſſe, non nego; immo inter hoſce li-

bros multos etiam obuenire, qui, vtilitate nequaquam deſtituti, laudem omnino mereantur, ſcio, ſed ſemper in hacce doctrina, quae perfecta nunquam dici poterit, quidquam deſiderari, ſemperque etiam aliquid addi poſſe, certum eſt. Multa ſane ſunt, quae medicamenta vocantur; an vero omnia, quibus medicamentorum nomen imponitur, hoc nomine digna ſint, dubia ſaepe res eſt. Immo multa ſunt, quae medicamentis adnumerari poſſunt, ita vero comparata, vt vix de viribus, quae tamen ineſſe dicuntur, certo nobis perſuadere queamus.

Alia,

Alia, et quidem multa, adhuc latent, vel ad minimum dubia ſunt, quorſum pertineant, quae ſaeculis forſan praeterlapſis poſteritas demum explicabit. Sed, accipe quaeſo, rationem, quae me ad conſcribendum huncce librum impulit. Noua prorſus dicere, animus non fuit; allaboraui potius, vt opuſculum exhiberem, quod diſcentes et iuniores practicos de genuino vſu medicamentorum, per experientiam comprobatorum, inſtrueret. Optime eos, qui ad indicationes, per therapiam generalem cognoſcendas, materiam medicam pertractent, ver-

ſari, ipſe cognoui, qui per decem fere annos doctrinam de remediis explico, et eos, qui medicinae ſe deuouent, hac in re inſtruo. Laetus etiam recordor, me ante viginti annos a Magnifico LVDWIG materiae medicae doctrinis ad theſes, hunc in finem elaboratas, neque tamen ab Optimo Praeceptore publici iuris factas, imbutum fuiſſe. Theſibus his manuſcriptis Cl. LOESECKE, Profeſſor quondam Berolinenſis, praematura morte rebus humanis ereptus, feliciter, vt ipſe affirmauit, vſus fuit, ita, vt ordine, a Magnifico LVDWIG praeſcripto,

ſcripto, aliquantum mutato et nonnullis additis liber paulo amplior prodiret. Hocce libro in inſtituendis praelectionibus hactenus vſus fui, ſed paſſim quaedam mutare, nonnulla corrigere, noua addere, neceſſarium fuit. Cum praeterea Magnificum LVDWIG et Cl. LOESECKE de ſelectu inſtituendo recte iudicaſſe, ſatis perſpexerim, ſiquidem de omnibus corporibus, quibus vires ſalutares adſcribuntur, tyrones cum fructu inſtruere, difficillimus fereque fruſtraneus labor eſt, ipſe Venerandi Praeceptoris LVDWIG et Cl. LOESECKE, Hunc

ſequuti, exemplo incitatus, ſelectum optimorum remediorum, in praxi clinica vſitatorum, communico. Ita autem rem pertractaui, vt, ad therapiam generalem ſemper reſpiciens, medicamenta, per experientiam comprobata, coordinarem, quo ii, in therapia iam verſati, ſecundum indicationem remedia habeant, quae ſtatim cauſis morborum opponere poſſint. Hinc factum eſt, vt omnia medicamenta in genere in Euacuantia et Alterantia, vt bene ſapienterque maiores iam fecere, diuiderentur. Cum materiae morbificae non ſolum per

primas

primas vias, ſed etiam per alia colatoria, expellantur, euacuantia rurſus in varias claſſes diuiſi. Eodem quoque ordine alterantia conſiderans, varia capita et claſſes remediorum, eo ſpectantium, exhibui. In qualibet claſſe vſitatiſſima et ſcitu neceſſaria expoſui, minus vſitata vel quibus medentes carere poſſunt, ſub finem cuiuslibet claſſis coniunctim paucis conſiderans; alia, nondum ſatis per experientiam probata et ſuſpectae fidei vel tantum nominaui, vel plane omiſi. Singula medicamenta, ad ſuas claſſes referenda, ita ſemper pertractaui, vt nomine

mine locoque natali indicatis, primo ad notas bonitatis, deinde ad guſtum et olfactum, tum ad partes conſtitutiuas, porro ad praeparata, ex ſimplicibus conficienda, tandem ad vires et vſum reſpicerem, ſemel autem explicata, ob alias indicationes ad alia capita reuocanda, quoad vires tantum et vſum conſiderarem. Sic itaque verſanti mihi remedia quaedam pharmaceutica obuenerunt, quae plerumque in Libris de Materia Medica minime explicantur. Cum vero apud me conſtituerim, ſelectum exhibere, qui optima, quaecunque in praxi

vſur-

vſurpentur remedia, ſiue ſimplicia ſint, ſiue per artem chemicam producta, contineat; multa etiam pharmaceutica ſic dicta remedia ſuo loco inſerui, et pleraque eorum eadem fere ratione, vt ſimplicia, expoſui. Sub finem doctrinae Syllogen remediorum ſubnectere placuit, quo Auditores mei, quibus in addiſcenda hac doctrina praeeo, vno quaſi intuitu remedia, in ſingulis capitibus ſeu claſſibus occurrentia, perſpicere, ſaepiusque legendo memoriae melius inprimere poſſint. Cum praeterea in explicandis ſimplicibus modum ſemper, haec ipſa componendi,

ponendi, exhibeam, non ſolum collectionem ſimplicium ſed etiam compoſitorum ob eandem rationem communicaui. In latiſſimum quidem campum deſcendens iterum ſelectum tantum adieci et eum quidem, quem ipſe maximam partem per experientiam comprobatum habeo. Plerumque quidem manuductionem ad conſcribendas formulas ſubnectunt, et regulas ſaepe nimis artificioſe excogitatas vel nimis generales, ſaepe ſine exemplis adnectunt, quae vero tyrones vix bene docent. Cum autem ad conſcribendas formulas, ſecundum

dum artem pharmaceuticam et ſecundum indicationes rite componendas, integro libello opus ſit, mihi autem in praeſenti cognitionem duntaxat remediorum, in praxi vtilium, communicare placuerit, ſic dictum Formulare alio tempore, ſi Deus vires vitamque largiatur, componere ſtudebo. Vt interim ea, quae ſecundum artem componenda explicanti mihi ſe offerunt, facili negotio repetere et memoriae ſuccurrere poſſent amantiſſimi Auditores, collectionem hanc remediorum, ex ſimplicibus componendorum, addere non dubitaui.

taui. Spero itaque, fore, vt labores mei Lectoribus non plane diſpliceant, quos vt beneuole accipiant, et bonam in partem interpretentur, enixè rogo. Vale. Dedi Lipſiae, d. 16 Maji.

A. O. R. MDCCLXVII.

MATERIA MEDICA.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Mutatam corporis humani ſanitatem, quae morbus alias dicitur, pathologus, anatomicis et phyſiologicis doctrinis rite inſtructus, explicat inque mutationis iſtius cauſis eruendis ſollicite verſatur. Perſpecta hac mutatione eiuſque cauſis detectis, therapeuta, omnibus his egregie edoctus, de remouendis iſtis cauſis et reſtituenda ſanitate meditatur et operam dat, quomodo mutatio iſta, noua mutatione inducta, ſalutari effectu tolli et inuerti poſſit.

§. 2.

Mutatio, in ſano corpore praeter naturam oborta, vel ab ipſo corpore ſuperatur, vel ea ipſa corpus ſuperat et ad interitum diſponit. Saepe quidem natura ad mutandam mutationem praeternaturalem ſibi ſufficit, ſaepe autem eadem, impos facta, mutationem iſtam

mutare nequit, et adiumentis opus habet, quibus mutationes nouae, prioribus contrariae, inducuntur, ita, vt morboſis iſtis, multum ob accedentes nouas labefactatis, vires naturae colligantur et morbus his ipſis ſuperetur.

§. 3.

Adiumenta, quibus mutationes ſalutares in corpore, morboſe mutato, excitantur, inſtrumentorum ope applicantur, quae vel interna vel externa ſunt. Haec vel mechanice vel phyſice agunt, illa vero phyſicam tantum actionem exercent. Externorum inſtrumentorum, mechanice tantum agentium, applicationem chirurgia exponit; quae vero phyſice agunt, ſiue externe ſiue interne applicentur, ea pharmacia explicat.

§. 4.

Inſtrumenta, quae ſalutarem in corpore, morboſe mutato, mutationem excitant, cauſas mutationis morboſae infirmant, ab ipſo corpore aliquantum debilitantur et ex eodem per vias naturales vel expelluntur vel ſponte egrediuntur, remedia audiunt. Si naturalia corpora viribus integris, prout natura ea ditauit, inſtructa, in corpore humano vim ſuam edunt, ſimplicia remedia vocantur; haec ſi parum vel leui negotio mutantur, Galenica remedia audiunt; ſin vero corpora naturalia per artem et operoſe mutantur et virtutes ſalutares, a priſtinis plus minus diuerſas, obtinent, chemicorum remediorum nomine inſigniuntur.

§. 5.

Cuncta haec pharmacia exponit, ſub quo nomine non ſolum chemiae applicatae quaedam pars ſed ea

quo-

quoque doctrina proprie intelligenda eſt, quae naturam et indolem remediorum, tum arte productorum tum eorum etiam, quae natura largitur, explicat et docet, quomodo his ipſis mutationes ſalutares excitari ſicque morboſae tolli poſſint.

§. 6.

Ad addiſcendam hanc doctrinam requiritur, vt omnes, qui ei ſe defouent, cognitionem corporis ſani et morboſi habeant iamque chemicis principiis imbuti ſint, quo poſtmodum ad acquirendam cognitionem remediorum et perſpiciendam eorundem naturam et vires eo aptiores euadant.

§. 7.

Cuiuslibet remedii cognitio et hiſtorica et phyſica eſt. Hiſtorica acquiritur, ſi ad cuiuslibet corporis naturalis, vi medicata donati, habitum externum eiuſque notas bonitatis, dein ad regnum, ex quo depromitur, tandem ad ortum et creſcendi vel etiam viuendi rationem attendimus. Phyſicam vero nobis comparamus, ſi in eruendis particulis conſtitutiuis earundemque qualitatibus inſitis et dependentibus inde effectibus, in corpore humano ſe manifeſtantibus, noſmet occupamus.

§. 8.

Particulas conſtitutiuas earumque compoſitionem et mixtionem chemiae ope detegimus, inſitas autem qualitates partim per chemicas diſquiſitiones, partim per guſtum et olfactum exploramus, hiſque auxiliis inſtructi per experientiam, quae optime rem confirmat, certiſſime demum cognitas nobis reddimus.

§. 9.

In eruendis particulis conſtitutiuis magna requiritur attentio et eae, quae facili negotio leuique mutatione inducta euoluuntur, ab iis, quae difficulter et non niſi magna mutatione excitata euoluuntur, probe diſcernendae ſunt. Poſthac autem partes etiam, quae a natura inſunt, ab iis, quae noua tranſpoſitione, per artem facta, producuntur, diſtinguamus, neceſſe eſt. Chemiae enim ope partes naturales non mutatas erui, haſque ipſas per eandem hanc artem inſigniter mutari priſtinamque indolem prorſus exuere, experientia docet.

§. 10.

Partes conſtitutiuae, quae ex compoſitis plerumque obtinentur, aqua craſſior compoſita, gelatinae, mucilagines, gummata, reſinae, ſubſtantiae ſalinae et ſaponaceae, pinguedines, ſubſtantiae unguinoſae, olea vnguinoſa, olea volatilia, terraeque impuriores et admodum compoſitae ſunt. Harum ſubſtantiarum partes conſtitutiuas multo ſubtiliores et pauciores numerabis, tuncque aquam puriorem atque ſubſtantias oleoſas, acidas terreaſque ſubtiliores, ſenſu tamen adhuc percipiendas, habebis. Hae ſi vlterius reſoluuntur, in ſubſtantias primas, nondum tamen pro elementis habendas, abeunt et ſic dictum principium aqueum, terreum, ſalinum et phlogiſton conſtituunt; quorum nonnulla ſenſibus clanculum ſe ſubducunt, ſubque ipſa operatione euaneſcunt, alia autem minus ſubtilia, adhuc conſpicua, diſquiſitione denuo inſtituta aufugiunt et nihil niſi terram relinquunt. Horum autem elementa ignem, aërem, aquam

aquam et terram fixam primordialem eſſe, ope ſubſtantiae cuiuſdam, ex his forſan compoſitae, cauſtici nomine *) ob effectus inſignitae, connectenda, non male coniicies, ſi ad varia, quae hinc inde obueniunt, phaenomena attenderis.

§. 11.

Ad detegendas qualitates inſitas, ſi chemice diſquiramus remedia, experimentis, quae cum remediis aliisque corporibus, inprimis partibus animalium inter ſe inuicem mixtis, inſtituuntur, vtimur. Neceſſe autem eſt, vt, antequam remedium ſeu corpus naturale cum parte animali miſceatur, tum haec tum illud quoad particulas conſtitutiuas et mixtionem ſeu compoſitionem cognitum iam ſit, quo effectus, ex commixtione vtriusque reſultantes, facile explicari certoque definiri poſſint **).

§. 12.

Plerumque tamen experimentis his inſtitutis generales tantum qualitates remediorum eaeque quidem non omnes innoteſcunt. Inter eas praecipue reſoluentes, adſtringentes, incraſſantes, diluentes, abſorbentes, exſiccantes

*) Vid. IOH. FRIDER. MEYERS Chymiſche Verſuche zur næhern Erkenntniſs des ungelœſchten Kalchs etc. Hanover und Leipzig, 1764. 8. p. 42 et 194.

**) Methodum hanc explorandi obſeruauimus, dum albuminis ouorum et ſeri ſanguinis naturam diſquiſiuimus. Vid. Diſſert. Noſtr. in qua Experimenta de Albuminis ouorum et Seri Sanguinis conuenientia ad declarandam nutritionis rationem recenſentur. Edit. Lipſ. 1754. 4.

cantes et rodentes vires quadantenus deteguntur, licet non negandum ſit, complura reperiri corpora, quae ob ſubtiliſſimas particulas, viſu nunquam percipiendas, alium in corpore humano viuo effectum edunt, quam qui extra iſtud animaduertitur.

§. 13.

Certiores multo de hac re reddimur, ſi ad detegendas qualitates remediorum, in corpore humano conſpicuas, guſtu et olfactu corpus naturale *) exploramus. Fatendum quidem eſt, ſaepe etiam hac in re, niſi alia experimenta ſimul in auxilium vocentur, nos falli poſſe, ſiquidem res, quae neque linguam neque nares afficiunt, inſignem nihilominus in corpore excitare valent mutationem. Certum interim eſt, nos de qualitatibus quibuſdam accurate inſtrui, ſi linguae et naribus peculiaris imprimatur ſenſatio.

§. 14.

Remedia, quae in corpus humanum ingeruntur, vel ſolidas vel fluidas eiuſdem partes vel, quod fere ſemper fit, vtraſque ſimul adficiunt. Actionem eorum in lingua perſaepe manifeſtari, attenti rerum obſeruatores, per experientiam edocti, oſtendunt. Quapropter ad ſenſationem, quae in lingua excitatur, ſollicite, antequam noua ſubſtantia, nondum per experientiam comperta, corpori humano propinetur, attendendum eſſe, ſequitur. Ergo ſequentes regulas obſeruemus.

§. 15.

*) Vid. Delineatio Pharmaciae chemico - therapeuticae, Lipſ. 1764. 8. a nobis edita, pag. 43 ſeqq.

§. 15.

Quicquid linguam ſingulari modo afficit et ſtimulat, ſicque ſenſum plus minus acrem in ea excitat, id particulas facile euoluendas inque motu conſtitutas indicat, quae fibram muſcularem irritant et ad motum ſubeundum aptam reddunt. Si ſtimulus linguam acriter afficit, neque ſenſus adeo diſtinctus excitatur, vis maxime irritans remedio adſcribenda eſt; ſin vero ſenſus magis diſtinctus eſt, ſaporis nomine notus, tunc quidem irritans vis remedio ineſt, priori tamen multo debilior, cenſenda.

§. 16.

Quicquid adſtrictorium et excitantem ſenſum in lingua excitat, id ipſum particulas actiuas continet, quae quidem fibram muſcularem irritant, ſed inertes, ſimul coniunctas, applicando, eam vltro non mouent, ſed motas particulas quaſi figunt; hinc fibram vel conſtringunt, vel roborant vel exſiccant.

§. 17.

Quicquid lenientem vel demulcentem vel emollientem ſenſum linguae imprimit, id partes minus actiuas haſque ipſas minus euolutas cum pluribus inertibus coniunctas fouet, quae fibram muſcularem non irritant, ſed irritatam leniunt, ſtimulum auferunt, motas particulas compeſcunt et fibram relaxant.

§. 18.

Ratione fluidarum partium corporis humani itidem nonnullae remediorum qualitates in lingua manifeſtantur. Inprimis condenſatio, inſpiſſatio, rarefactio et attenuatio inſimulque inuolutio et correctio attendenda eſt.

§. 19.

Quicquid itaque adſtrictorium ſenſum ſeu acidum adſtringentem ſeu amarum adſtringentem in lingua excitat, id particulas ineſſe denotat, quae fluida denſant et fluidiores particulas in motu quaſi figunt. Quicquid vero ſaporem viſcidum vel vrentem exſiccantem vel acidum auſterum adſtringentem excitat, id particulas activas continet, quae, fluidiores partes figendo ſeque his vniendo fluidorum volumen augent, incraſſant et motum compeſcunt.

§. 20.

Corpora, quae ſaporem vel dulcem vel acidum lenem vel ſalſum vel amarum vel vrentem vel ex his mixtum in lingua excitant, humorum corporis humani ſeu particularum, iſtos conſtituentium, cohaeſionem diuidunt ideoque eos reſoluunt. Quae vero blandam refrigerantem ſenſationem abſque ſtimulo in lingua producunt, ea humores ſeu particulas eorum tantum quoad aggregationem disiungunt, ſicque eos duntaxat diluunt.

§. 21.

Quaecunque corpora viſcidum blandum et ſubdulcem ſaporem excitant, ea acrimonias humorum inuoluunt vimque eorum infringunt. Quae vero ſapore acido, amaro, dulci, ſalſo et mixto donata ſunt, ea ſemper humores acres corrigunt, acrimonias inuertunt et naturalem craſin reſtituunt.

§. 22.

Haec guſtus detegit: pari quoque ratione olfactus qualitates quaſdam eruit, et tales omnino, quae ſubtiliores

liores multo ſunt, quaeque a particulis multo tenuioribus, in neruos eorumque fluidum praecipue agentibus, dependent. Olfactu praeterea partes iam euolutas inque veloci motu conſtitutas facileque mouendas percipimus, quae fibram plerumque muſcularem ſimul afficiunt inque humores pariter vim ſuam et efficaciam exercent, licet non negandum ſit, actionem hanc, in fibra muſculari et humoribus manifeſtatam, multo breviori tempore durare, quam quae a partibus fixioribus, minus euolutis, dependet.

§. 23.

Inter innumeras odoris ſpecies eas inprimis attendamus, quae quaſi pro cardinalibus haberi poſſunt. Hinc ad odorem gratum reficientem, foetentem, caput gravantem, nauſeoſum, balſamicum, ſpirituoſum et vrentem denique ſenſationem, in naribus haud raro excitatam reſpiciendum eſt.

§. 24.

Corpora, quae odorem gratum, reficientem et refrigerantem quaſi de ſe ſpargunt, in neruos agunt, fluidum eorum augent huiuſque motum leniter promovent. Praeterea fibram muſcularem quoque ſtimulant et humores attenuant.

§. 25.

Quae odore foetido inſtructa ſunt, fluidi neruei motum non raro minuunt et compeſcunt, fibrae muſculari ſtimulum lenem quidem ſed diu inhaerentem applicant et oleoſam humorum partem attenuant et movent. Eadem fere dicenda ſunt de iis, quae odorem

grauem,

grauem, caput grauantem de ſe ſpargunt, eo tantum diſcrimine, quod fluidi neruei motum valde imminuant, eundemque non raro ſufflaminent, fibram muſcularem fortius ſtimulent et oleoſam humorum partem moueant.

§. 26.

Nauſeoſa corpora irregularem in fluido nerueo motum producunt, fibram muſcularem leni irritatione, diu tamen perdurante, afficiunt, eandemque laxant, humores alliciunt, denſitatem eorum minuunt et ad putredinem promouendam multum conferunt.

§. 27.

Balſamico odore praedita corpora fluidum nerueum augent, motum eius lente ſed conſtanter promouent, fibram muſcularem ſtimulo nequaquam acri, ſat forti tamen et diu perſiſtente irritant, humores mouent, denſitatem quidem non augent, actione tamen abſoluta denſitati oriundae anſam praebent et putredini reſiſtunt.

§. 28.

Spirituoſa fluidum nerueum vno quaſi impetu aggredi inque motum ducere ſolent; hinc irregulares ſaepe motus producunt, fibram muſcularem vehementer ſtimulant et humores inſigniter mouent. Saepe vſurpata fibram muſcularem minus irritabilem reddunt et, fluidiſſimas partes diſſipando, humores denſant eorumque motum lentiorem faciunt.

§. 29.

Quae tandem corpora vrentem quaſi ſenſationem, dolorem fere, in naribus excitant, ea fluidum nerueum citiſſime

citiſſime afficiunt et mouent, fibram muſcularem acriter ſtimulant, ideoque motus in corpore irregulares producunt, et humores inſigniter reſoluunt.

§. 30.

Raro quidem fallimur, ſi examen hoc, per guſtum et olfactum ſuſceptum, accurate inſtitutum fuerit; cum autem ſaepiſſime ſubſtantiae rebus admixtae ſint, quae obſcure tantum tum in guſtu tum in olfactu percipiuntur, ad experientiam vltimo, ad lectum aegrotantis inſtituendam, prae reliquis confugiendum eſt. Haec enim optime res, dubie ſaepe exploratas, declarat, licet haec etiam interdum fallax eſſe videatur.

§. 31.

Patet itaque ex his, Materiam Medicam, quam Pharmaciam §. 5. diximus, eſſe ſcientiam, quae nobis cognita reddit ea corpora naturalia, quae, viribus ſalutaribus inſtructa, cauſas morborum deſtruunt, vel hoc non ſolum praeſtant, ſed etiam materias morbificas vel mutatas vel non mutatas expellunt, vel demum functiones laeſas reſtituunt.

§. 32.

Corpora, viribus hiſce inſtructa, medicamenta vocantur. A venenis ſe diſtinguunt, quod haec corpus ſuperent, nec per conſuetas corporis humani vias abſque laeſione functionum exeant, illa vero corpus non ſuperent, ſed vel plane mutata vel aliquantum mutata per colatoria tranſeant, nec functiones laedant ſed laeſas vel reſtituant vel ad reſtitutionem aptas reddant. Ab alimentis differunt, quod haecce a corpore ſuperentur

cumque

cumque fluidis ſolidisue mixtionem intimam ſubeant inque corpore apponantur *). Cum vero rectus eorum et genuinus vſus multum omnino ad reſtituendas functiones laeſas conferat, inter medicamenta quoque locum eis concedendum eſſe, ne dubites.

§. 33.

Dantur adhuc alia corpora, proprietatibus mixtis inſtructa, ita, vt particulae vere medicamentoſae vel cum alimentoſis vel cum venenatis remixtae ſint. Hinc alia ſunt medicamenta alimentoſa ſeu, prout hae vel illae particulae eminent, alimenta medicamentoſa, alia autem ſunt medicamenta venenata vel rurſus venena medicamentoſa.

§. 34.

Ordinem tractationis exponentes, eum eligendum eſſe, opinamur, qui remedia neque ad ordinem alphabeticum, neque ad diuiſionem regnorum naturae, neque etiam ad mixtionem ſed ad vires definiat et diſcentes vel in praxi iam verſantes ita inſtruat, vt cauſa morbi cognita ſtatim remedium ad therapiae regulas pro apto et neceſſario indicatum, reperiant eiuſque vſum genuinum, ex mixtione et indole definiendum, vno quaſi intuitu perſpiciant ſicque inſtructi felici cum ſucceſſu propinent. Hanc igitur methodum obſeruantes iamque medicamenta, reſpectu actionis generalis, conſiderantes omnia remedia in Euacuantia et Alterantia diuidimus. Cum vero interdum in expellendis vermibus neque ad ſolida neque ad fluida corporis humani reſpi-

*) Vid. Pharmac. Noſtr. p. 6. §. 2.

reſpicere queamus, ſed talia exhibere teneamur, quae, licet etiam in corpus humanum agant, praecipue tamen in ipſos vermes agere eoſque moleſte afficere videntur, ita, vt vel ſponte vel ipſius naturae ſuperantis ſimulque his ipſis medicamentis excitatae vi expelli poſſint, appendicis loco doctrinam de anthelminticis ſubiungimus.

§. 35.

Medicamenta a nobis ſecundum vires conſideranda, ſequenti tabula exhibemus:

Pars I. Euacuantia.

Sect. I. Euacuantia primarum viarum.

Cap. 1. Emetica.

2. Euacuantia per aluum.

Diuiſ. 1. Laxantia.

2. Lubricantia.

3. Purgantia.

Sect. II. Euacuantia ſecundarum viarum.

Cap. 1. Diaphoretica.

2. Diuretica.

3. Maſticatoria.

4. Sialagoga.

5. Sternutatoria.

6. Emmenagoga.

Pars II. Alterantia.

Sect. I. Medicamenta, quae in fibram ſolidam agunt.

Cap. 1. Irritantia.

2. Emollientia.

3. Exſiccantia.

4. Conglutinantia.

Diuiſ.

Diuiſ. 1. *Nutrientia.*
2. *Roborantia.*
Subdiv. 1. *Adſtringentia.*
2. *Roborantia ſtricte ſic dicta.*
3. *Carminatiua.*

Sect. II. Medicamenta, quae in ſanguinem agunt.
Cap. 1. *Incraſſantia.*
Diuiſ. 1. *Inſpiſſantia.*
2. *Condenſantia.*
Cap. 2. *Attenuantia.*
Diuiſ. 1. *Diluentia.*
2. *Reſoluentia.*
Subdiv. 1. *Reſoluentia, quae refrigerant.*
2. *Reſoluentia quae calefaciunt.*
Cap. 3. *Immutantia.*
Diuiſ. 1. *Inuoluentia.*
2. *Corrigentia.*
Subdiv. 1. *Antiputrida.*
2. *Antacida.*
3. *Medicamenta, quae acrimoniam ſalſam corrigunt.*

Sect. III. Neruina.
Cap. 1. *Excitantia.*
2. *Analeptica.*
3. *Antiſpaſmodica.*
4. *Sedantia.*
Appendix. Anthelmintica.

PARS I.

PARS I.

Euacuantia.

§. 36.

Euacuantia dicuntur, quae materiam morbificam aggrediuntur et mutant et inprimis vires corporis excitant, vt his ipſis auctis quaſi materies morbi vel immutata vel non mutata ex corpore per conſueta colatoria modo magis minuſue ſenſibili expellatur. Alia eorum in primas vias maximam partem agunt, haſque prae reliquis ad euacuandam materiam incitant, alia autem id in ſecundis viis praeſtant. Hinc euacuantia primarum viarum et ſecundarum viarum attendenda ſunt.

SECTIO I.

Euacuantia primarum viarum.

§. 37.

Medicamenta, quae primas vias a materia liberant, ſunt corpora naturalia, quorum particulae actiuae ingeſtae ſtatim in primis viis euoluuntur, et tum fibram

muſcularem tum etiam neruoſam, humoribus digerentibus nunquam non mutatis, ita afficiunt, vt motu periſtaltico aucto contenta ventriculi et inteſtinorum, vix non ſemper mutata, vel per ſuperiora vel per inferiora expellantur. Cum igitur duplici modo dicta remedia agant, alia emetica alia purgantia in genere ſic dicta vocantur.

CAPVT I.

Emetica.

§. 38.

Emetica ſeu vomitoria medicamenta ſunt, quorum particulae actiuae vel euolutae iam ingeruntur vel ſtatim in ventriculo euoluuntur, ibidemque cum ſubtiles admodum nec inertibus adeo implicitae ſint, fibras muſculares inſigniter ſtimulant, fluidum neruеum aliosque humores alliciunt, inſimulque contenta ventriculi ita attenuant, reſoluunt, mutant, vt motu periſtaltico aucto et inuerſo contenta verſus os propellantur ibidemque euacuentur. Inter complura 1) de *Oxymelle ſcillitico;* 2) de *Radice Ipecacuanhae;* 3) de *Tartaro Emetico,* nos agimus.

§. 39.

OXYMEL SCILLITICVM; gall. *Oxymel ſcillitique;* germ. *Meerzwiebelſaft.* Eſt fluidum ſpiſſiuſculum, ſyrupi fere conſiſtentiam habens, quod ex aceti ſcillitici parte vna et mellis deſpumati partibus duabus coquendo paratur. Odor eiuſdem acidulus cum oleoſo quaſi remixtus eſt; ſaporem habet acido - dulcem et amaricantem. Partes actiuae emeticae ab acido - dulcibus

bus includuntur, ſtatim tamen poſt ingeſtionem euolvendae. Stimulum lenem dictum remedium fibrae muſculari applicat, parum relaxat et humectat, denſitatem humorum minuit, viſcidum pituitoſum vel atrabilarium vel etiam inflammatorium aggreditur, acrimoniam bilioſam, rancidam et alcaleſcentem immutat, ſique pro ratione aetatis a drachmis duabus ad vncias duas exhibetur, vomitum leniori modo mouet. Prodeſt inprimis corporibus ſiccis, bilioſis, non aeque ſemper laxis, aquoſis, acidam acrimoniam inprimis fouentibus.

§. 40.

RADIX IPECACVANHAE; gall. *Racine d'Ipecacuanne;* germ. *Indianiſche Ruhrwurzel.* Ex America adfertur. Tres numerantur ſpecies, griſea, albicans et fuſca; prima inter noſtros in vſu eſt. Optima cenſetur, quae tactu aſpera, multis circulis donata, tenax, compacta et quoad aſpectum reſinoſa eſt. Cortex tantum efficax eſt, interior pars medulla iners deprehenditur. Odor huius radicis fere nullus eſt, niſi eum in contuſo terreum vocare volueris. Saporem habet quodam modo acrem, nauſeoſum, amaricantem. Conſtat ex partibus gummoſo-mucilagineis, reſinoſis paucis et terreis compluribus. In reſinoſis inprimis ſubſtantia actiua haeret, gummoſis ea non plane deneganda. Terreae vix quidquam habent. Stimulum non adeo lenem fibrae muſculari applicat, viſcidum pituitoſum

 reſoluit,

*) Iconem et deſcriptionem exhibuit MARGGRAFF in Hiſtoria naturali Braſilienſi. Edit. Lugd. Batav. 1648. fol. p. 17.

reſoluit, humores allicit, acrimoniam quamcunque inprimis acidam inuoluit et a granis quinque ad ſcrupulum vnum exhibita vomitum ciet. In refracta doſi propinata praeſtantiſſimum reſoluens in obſtructionibus viſcerum infimi ventris praebet. In vſum ducendus cortex integer, nec puluis eiuſdem diu aſſeruatus, in puluerem tunc demum redigendus, quam primum vſurpatur. Si ſcrupulus vnus aqua calida infunditur et infuſum colatum cochleatim ingeritur, leniſſimum vomitorium vel etiam reſoluens habebis.

§. 41.

TARTARVS EMETICVS; gall. *Tartre Stibié;* germ. *Brechweinſtein.* Ex cryſtallis ſeu cremore tartari et croco metallorum paratur. Horum nimirum partes aequales cum aqua communi per aliquot tempus coctae colantur et ſuper igne leni vel ad ſiccitatem inſpiſſantur vel aqua, ad cuticulam vſque euaporata liquor inſpiſſatus ad cryſtalliſationem reponitur. Inſpiſſatus cryſtalliſato ſemper praeferendus eſt; praeſtat etiam, recenter paratum in vſum ducere: diu enim aſſeruatus multum virium amittit. Inſigni vi atque efficacia pollet hocce remedium, et cum eo caute mercandum eſt, generoſum tamen cenſendum. Odore deſtituitur; ſapor acris et acidulus eſt. Particulas valde actiuas ſubtiliſſimasque, acidis ſalinis cremoris tartari implicitas, habet. In ventriculum deductus ſtatim actiuus euadit tartarus emeticus tuncque fortem ſtimulum fibris muſcularibus applicat, et, licet in fluidum nerueum vix agere videatur, hoc tamen alioſque humores, fibras muſculares irritando,

tando, copioſe allicit, hinc viſcidum quodcunque attenuat et niſi in quantitate admodum exigua ingeſtus fuerit, vomitum ſat inſignem excitat. In parua doſi a grano vno ad duo propinatus emeticum eſt remedium: praeſtat tamen, hunc ipſum in forma fluida, et per vices quidem, nunquam ſolida, exhibere. Hac enim methodo obſeruata, non ſolum melius operatur, ſed etiam nullum incommodum metuendum eſt. Prodeſt inprimis corporibus laxis, pituitoſis, aquoſis, nunquam ſiccis rigidisue.

§. 42.

Dantur adhuc multo plura emetica: 1) ex antimonio parata e. g. Flores antimonii, Vitrum eiuſdem, Mercurius vitae, Regulus tum ſimplex tum etiam martialis; 2) alia, ex regno vegetabili deſumta, e. g. Aſari radix et folia, Gratiola, Semina cataputiae, Nicotiana, Nux vomica, Gummi gutta, ex regno minerali Vitriolum album et alia, quae vero vel nihil ſingulare praeſtant, vel ſuſpecta ſunt vel inter venena collocanda.

CAPVT II.

Euacuantia per aluum.

§. 43.

Purgantia medicamenta, in genere conſiderata, vocantur, quorum particulae actiuae, ſubtiles et euolutae iam ſunt, vel in primis viis ſtatim euoluuntur, ibidemque fibram muſcularem ſtimulant, humores quoscunque alliciunt, materiem contentam attenuant, reſoluunt, mouent et motum periſtalticum ita augent, vt, eo nequaquam inuerſo, contenta per inferiora expellantur.

§. 44.

Differunt ea ab emeticis, quod particulae non adeo ſubtiles et actiuae ſint, faciliuſque a corpore ſuperentur. Cum vero haec ipſa a ſe inuicem diuerſa ſint et alia ſtimulent et reſoluant et relaxent, alia rurſus praeter hoſce effectus lubricent, aliaque demum non ſolum fibram muſcularem humoreſue in primis viis afficiant, ſed etiam fibram neruoſam et totum corpus turbent, omnia in tres claſſes diuidimus et in prima Laxantia, in altera Lubricantia, in tertia Purgantia ſtricte ſic dicta conſideramus.

DIVISIO I.

Laxantia.

§. 45.

Laxantia medicamenta ſunt, in quibus particulae plane euolutae deprehenduntur, quaeque cum ſubtiles adeo non ſint, fibram muſcularem quidem ſtimulant, ſed non adeo vehementer irritant, eam relaxant, fluidum nerveum non turbant, materiem contentam reſoluunt, eamque, humoribus copioſe allectis motuque periſtaltico leniter aucto, abſque inſigni corporis perturbatione educunt. Inter permulta, quae a pluribus ad haec referuntur, ſalia pauca tantum pro hoc ſcopo vtilia cenſenda ſunt: hinc 1) de *Sale cathartico anglico;* 2) *Sale Sedlizenſi;* 3) *Sale mirabili Glauberi;* 4) *Aqua thermarum Carolinarum;* 5) *Aquis Egranis;* 6) *Aqua Boiemorum amara,* ſeu *Seydſchüzenſi,* hic agere ſufficiet.

§. 46.

§. 46.

SAL CATHARTICVM ANGLICVM, EBSHAMENSE; gall. *Sel d'Epſon, ou Purgatif amer;* germ. *Engliſches Purgirſalz.* Raro hocce Sal ex Anglia adfertur, idque, quod inter noſtros in vſu eſt, ſal medium artefactum ſiſtit, quod ex muria ſalis marini, lixiuio alcalino et capite mortuo vitrioli vel etiam acido vitriolico paratur. Odore deſtituitur; ſaporem habet amaricantem, ſubdulcem, nauſeoſum. Aquam ex aëre attrahit, neque tamen totum diffluit. Ab affuſa aqua communi ſtatim maximam partem ſoluitur, relicto tamen ſale, paulo tardius ſolutionem admittente. Solutum hocce ſal ingeſtum fibram muſcularem leniter ſtimulat et relaxat, viſcidum pituitoſum aeque ac atrabilarium reſoluit, humores attenuat et allicit et ab vncia dimidia ad vnam immo interdum duas abſque incommodo euacuat, Subalcalini quid fouet. Hinc prodeſt, vbi viſcidum pituitoſum tenax vel iners vel cum acida acrimonia coniunctum deprehenditur. Conducit inprimis in morbis chronicis, vbi laxitas non adeo inſignis, neque humores tenues ſunt. In acutis vix laudarem. Propinandum pituitoſis, non aeque aquoſis, raro atrabilariis, cum aliis tamen purgantibus remediisue commixtum in hoc vel illo caſu admitti poterit.

§. 47.

SAL AMARVM SEDLIZENSE; gall. *Sel purgatif de Sedliz;* germ. *Sedlizer Salz.* Ex pagis *Sedliz* et *Seydſchüz,* in Bohemia ſitis, ad nos venit. Obtinetur iſtud ex aqua minerali amara, ibi ſcaturiente per eua-

porationem, et ſalem medium ſiſtit, qui odore deſtituitur, ſaporem amaricantem habet, aëri expoſitus in puluerem fatiſcit et ab aqua communi facillime ſoluitur. Conſtat iſte ſal ex acido vitriolico et terra alcalina forte etiam pauco alcali minerali. Vires eiuſdem eaedem fere ſunt, quam praecedentis, praeter id, quod nequaquam alcalinum cenſendum, ideoque in morbis acutis, ſi ſalia laxantia indicantur, tutius propinandum eſt. Caeterum et atrabilariis, ſi eorum aluus ducenda eſt, magis conuenit, quam praecedens, cumque aliis remediis lubricantibus et purgantibus commixtum laudabile medicamen praebet.

§. 48.

SAL MIRABILE GLAVBERI; gall. *Sel de Glauber;* germ. *Glaubers Wunderſalz.* Productum artis eſt, et ad ſalia media praeſtantiora pertinet. Cryſtallos format rhomboidales. Odorem nullum habet, et ſapore amaricante non ingrato inſimulque ſenſu refrigerante, in lingua excitato, ſe manifeſtat, et ab aqua communi facillime ſoluitur. Conſtat ex acido vitriolico et alcali minerali. Lenem fibrae muſculari applicat ſtimulum, neruos non mutat, viſcidum pituitoſum tenaciſſimum vel iners plane vel etiam acidum reſoluit, et atrabilarium quoque deſtruit. Vermibus inimicum eſt, et, ad vnciam vnam et vltra per ſe propinatum, aluum blande ſubducit. Cum acido dulcibus, mucilagineo dulceſcentibus et purgantibus, oleoſis quoque miſceri *) ſe patitur. Prodeſt inprimis pituitoſis ſiccioribus, nec ita aquoſis;

uix

*) Vid. Pharmac. Noſtr. l. c. p. 80. §. 99.

vix nocet atrabilariis niſi ſicciſſimis, quibus tamen, acido dulcibus adiunctis, laudabile etiam remedium praebet. Cum eo conueniunt plurima ſalia fontana, ex aquis thermalibus aliisque fontibus per euaporationem educta, e. g. *Sal thermarum Carolinarum, Sal acidularum Egranarum* etc. neque tamen inter haec neque inter illud notabile diſcrimen reperiundum eſt.

§. 49.

AQVA THERMARVM CAROLINARVM; germ. *Carlsbader Waſſer.* Inter aquas minerales non infimum locum obtinet. Fontes huius aquae in oppidulo Bohemiae, *Carlsbad* dicto, ad confinia Saxoniae ſito, reperiuntur *). Quinque in praeſenti numerantur fontes. Primus fons furioſus, *Sprudel*, alter *Mühlbad*, tertius *Neubrunn*, quartus *Felſenbrunn*, quintus *Gartenbrunn* nominatur. Odor harum aquarum vapori aquae communis ſimilis eſt et lixiuioſi quid prodit. Sapor fontis furioſi leniter ſalſus, aliquantum lixivioſus et parum auſterus ſeu adſtringens eſt. Sapor fontis *Mühlbad* grate aceſcens nihil adſtringentis habet. Sapor fontis *Neubrunn* itidem aceſcens eſt, minus vero quam praecedentis, adſtringentis tamen quidquam manifeſtat. Cum hoc conuenit fons *Gartenbrunn*. In fonte *Felſenbrunn* ſapor neque acidus neque auſterus deprehenditur, ſimilisque videtur aquae purae, quae parum ſalis medii ſoluti continet. Omnes hae aquae calidae ſcaturiunt, omnium tamen calidiſſimus

*) Vid. DAVID BECHERS Neue Abhandlung vom Carlsbade. Erſter Theil, Prag, 1766. 4.

ſons furioſus eſt. Hic reliquis praeſtat et inprimis in vſu eſt. Continet huius fontis aqua ſpiritum mineralem elaſticum, minime tamen adeo copioſum, vt acidulae, deinde terram tum alcalinam tum argillaceam ſeleniticam, porro ſalem medium, ſali mirabili GLAVBERI prorſus analogum, tandem ochram et ferrum. Epota iſta aqua lenem ſtimulum fibris inteſtinalibus applicat, neruos aliquantum mouet, motum periſtalticum auget, viſcidum pituitoſum vel iners vel acidum egregie attenuat, acidam acrimoniam et humores acidos corrigit et per primas vias educit, caeterum lene corpori reddit robur. Vſus harum aquarum in morbis chronicis tantum valet, et quidem viſcidis pituitoſis, cum vel ſine acida acrimonia coniunctis. Prodeſt laxis, aquoſis, nulla labe viſcerum laborantibus; ſicci, bilioſi, rigidi, atrabilarii ab vſu iſtarum aquarum abſtineant.

§. 50.

AQVAE EGRANAE; germ. *Egriſcher Sauerbrunn.* Ex Bohemia adferuntur. Scaturiunt eae ad vrbem, Egram dictam. Odore deſtituuntur, ſaporem habent quaſi pungentem, leniter ſalſo amaricantem. Diſquiſitae ſpiritus mineralis elaſtici ſat magnam copiam, ſalem medium, Glauberiano ſimilem et ſubſtantiam vitriolicam continent. In vſum ductae fibras inteſtinales ſtimulant, viſcidum pituitoſum vel iners vel acidum reſoluunt, motuque periſtaltico aucto euacuant, inſimulque lene robur fibris reſtituunt. Conducunt in morbis chronicis in primis primarum viarum, qui a viſcido pituitoſo, laxitate fibrarum et torpore fluidi

fluidi neruei dependent. Rigidis, ſiccis, bilioſis nec non debilibus corporibus minus cunducunt; phthiſicis hecticiſque nocent.

§. 51.

AQVA BOIEMORVM AMARA ſeu SEYDSCHÜTZENSIS et SEDLIZENSIS; germ. *Bitterwaſſer.* In pagis Bohemiae, *Seydſchütz* et *Sedliz* dictis, ſcaturit. Odorem nullum habet; ſapor amarus eſt, et praeter ſalem medium amarum nihil continet. Fibras inteſtinales leniter ſtimulat et relaxat, viſcidum primarum viarum tum pituitoſum tum atrabilarium, mobile iam factum, vlterius reſoluit et motu periſtaltico aucto leniſſime ſubducit. Hinc in plurimis morbis chronicis primarum viarum, a viſciditate dependentibus, iuvat. Caue tamen, ne abſque carminatiuis et roborantibus lenioribus interpoſitis corpora nimis laxa et pituitoſa et frigida eis vti iubeas.

DIVISIO II.

Lubricantia.

§. 52.

Lubricantia remedia vocantur, quae fibras inteſtinales leniſſime ſtimulant, relaxant et lubricant, et materiem ibi contentam vix quidem reſoluunt, ſed tenacem quaſi emolliunt et acrem inuoluunt et per aluum euacuant. Particulas continent haec medicamenta vel euolutas vel ſtatim poſt ingeſtionem euoluendas, ita tamen, vt, diutius paulo in primis viis commorantes, nouam mutationem ſubeant et acres euadant. Praecipua eorum, quae pro ſcopo euacuandi laudari merentur

ſunt

ſunt 1) *Oleum amygdalarum dulcium;* 2) *Pruna;* 3) *Tamarindorum Pulpa* et 4) *Manna.*

§. 53.

OLEVM AMYGDALARVM DVLCIVM; gall. *Huile d'Amande doux;* germ. *Süſs Mandeloel.* Ex ſeminibus ſeu fructibus arboris, quae *Amygdalus* *) dicitur, per expreſſionem obtinetur. Praeſtat ſemper recens expreſſum, quod praeter odorem et ſaporem oleoſum leniter nauſeoſum nullum alium manifeſtat. Conſtat iſtud ex partibus oleoſis, pluribus particulis mucilagineis tenerioribus nuptis. Hinc oleum unguinoſum ſiſtit, quod nullum ſtimulum fibris inteſtinalibus applicat, eas vero inſigniter lubricat et laxat, materiem inteſtinorum inuoluit et emollit eoque diſponit, vt abſque motu periſtaltico aucto ſponte quaſi per inteſtina tranſeat, et ſola natura cooperante per aluum euacuetur. Prodeſt tantum in eo ſtatu inteſtinorum, vbi ſiccitas et rigiditas fibrarum nec non ſpaſtica earum conſtrictio, a materie acri, nequaquam bilioſa, ſeu rancida, putrida, alcaleſcente dependens, aluum tardam ſeu clauſam reddidit. Abſtineant ab eius vſu corpora bilioſa et viſcido atrabilario plena. Minus etiam conducit laxis, aquoſis, iuuat autem ſicca, frigida, ſenilia inprimis corpora. Abſit vetuſtum, rancidum, pro veneno potius habendum.

§. 54.

*) Eſt *Amygdalus* (communis) LINN. Spec. edit. 1762. 8. p. 473. ELIS. BLACKWELL Herbarium emendatum. Edit. Norimb. 105.

§. 54.

PRVNA; gall. *Pruneaux doux;* germ. *Pflaumen; Zwetſchgen.* Sunt fructus arboris inter noſtros notiſſimae, quae *Prunus* *) dicitur. Fructus recentes pulpoſi ſunt, vltra pollicem craſſi, odorem nullum habent et ſapore dulci egregio ſe commendant. Membrana exterius inueſtiuntur ex atro rubente vel etiam coeruleſcente, ſub qua pulpa mollis, ex viridi luteſcens vel etiam lutea, dulcis, particulis gelatinoſo - mucilagineis pluribuſque aquoſis remixta continetur, quae nucleum durum circumdat. Probe exſiccata pruna ſubſtantiam dulcem, magis concentratam et arctius cum mucilagineis particulis mixtam, hinc diutius in inteſtinis commorantem fouent et aëre elaſtico deſtituuntur: quapropter pro vſu medico recentibus ſaepius praeſtant. Leniter ſtimulant fibras inteſtinales, eas laxant et lubricant, viſcidum quodcunque aggrediuntur et vel reſoluunt vel ad ſolutionem aptum reddunt, acrimoniam rancidam bilioſam, putridam, ſalſam etiam aliquantum corrigunt, ad minimum inuoluunt, tandem per aluum leniter ſubducunt. Proſunt inprimis in ſiccitate inteſtinorum. Hinc in morbis acutis et inflammatoriis et chronicis egregii vſus ſunt. Exſucca bilioſa, atrabilaria, ſenilia corpora multum iuuant; vix ita laxa, aquoſa, frigida, acida acrimonia plena. Vſurpantur cocta integra, vel ſuccus eorum vel Roob; hoc tamen pro ſcopo lubricandi vix per ſe in vſum ducitur, ſed pro baſi aliis purgantibus inſeruit, ſi electuarium purgans parandum eſt.

§. 55.

*) *Prunus domeſtica*; LINN. Spec. 680. BLACKWELL. l. c. 503.

§. 55.

TAMARINDORVM PVLPA; gall. *Tamarinds;* germ. *Tamarinden.* Ex ſubſtantia paratur, quae ex India orientali ad nos adfertur. Eſt ea nondum praeparata ſubſtantia fuſca, nigricans, mollis, fruſtulis lignoſis et ſeminibus permixta, quae ex ſiliquis arboris, *Tamarindi* *) dictae, pulpa hac refertis, fractis cumque pulpa iſta et ſeminibus commixtis obtinetur. Subſtantia haec impura aqua calida ſoluitur, colatur et ad mellis ſeu Roob conſiſtentiam inſpiſſatur, tuncque pulpa praeparata vocatur. Odore ea deſtituitur, ſapor eius eſt dulcis, acidus; ex particulis ſalinis acidis cum ſubſtantia dulci mucilaginea remixtis conſtat. Fibris inteſtinalibus lenem ſtimulum applicat, viſcidum tenax, inprimis bilioſum, atrabilarium et inflammatorium reſolvit et immutat, acrimoniam alcaleſcentem, oleoſam rancidam, putridam corrigit, inteſtina humectat et aliquantum laxat et lubricat, motuque periſtaltico aucto euacuat. Vſum habet in morbis acutis, inflammatoriis, putridis et affectibus atrabilariis, bilioſis. Prodeſt corporibus ſiccis, bilioſis, atrabilariis, vix ita pituitoſis, laxis, acidis. Propinatur ab vncia dimidia ad duas.

§. 56.

MANNA CALABRINA; gall. *Manne de Calabre;* germ. *Manna.* Eſt ſubſtantia molliuſcula ex albo flaueſcens, odoris aliquantum nauſeoſi, quaſi oleoſi, ſaporis vero dulcis,

*) *Tamarindus* (indica) LINN. Spec. 48. BLACKWELL, l. c. 221.

dulcis, mucilaginei et acriuſculi. Fluit ea ex arbore *Fraxino* *) in Calabria et Sicilia. Continet partes mucilagineas paucaſque reſinoſas, quibuſcum ſubſtantia ſalina dulcis et oleoſa pinguis commixta eſt. Fibras inteſtinales leniter ſtimulat, laxat, lubricat, acrimoniam ſalſam corrigit, bilioſam et putridam parum immutat, paululum inuoluit, viſcidum pituitoſum tenax et atrabilarium et inflammatorium emollit et ex parte ſoluit. Prodeſt inprimis in ſiccitate inteſtinali; hinc in omnibus morbis omnique aetate, vbi iſta adeſt, conuenit: minus conducit, vbi laxitas, pituitoſa, aquoſa et acida humorum indoles morbis occaſionem praebet. Propinatur a drachmis duabus ad vncias duas.

§. 57.

Alia etiam, quae primas vias lubricant, a nonnullis laudantur remedia, e. g. *Pulpa Caſſiae, Mel, Paſſulae maiores et minores, Caricae pingues,* aliaeque dulces ſeu acido-dulces ſubſtantiae, quae quidem in arte medica contemnenda non ſunt, ſed pro ſcopo euacuandi vix adeo, vt praecedentia, laudanda. Pulpam Caſſiae, cum minorem vtilitatem praeſtet, quam Tamarindorum pulpa, lubenter praeterimus, de melle autem, Caricis et paſſulis alio loco commodior erit diſſerendi occaſio.

DIVI-

*) Vti plurimi autumant exſudat ex *Fraxino* (Orno) LINN. Spec. 1510. MICHEL. nov. plant. gen. Florent. 1729. fol. tab. 103.

DIVISIO III.

Purgantia.

§. 58.

Purgantia medicamenta dicuntur, quae fibras inteſtinales ſtimulant, fluidum nerueum mouent, idemque et alios humores copioſe ad inteſtina deriuant, ſinegma unguinoſum inteſtinorum itidemque omnes fere humores reſoluunt, viſcidum morboſum attenuant, et, motu periſtaltico vividius excitato, per anum euacuant. Particulae purgantium admodum ſubtiles et actiuae ſunt et a mixtione humorum corporis humani valde diuerſae, ita tamen, vt in aliis magis ſubtiles magiſque activae ac in aliis deprehenduntur. Quapropter alia mitiorem alia vehementiorem effectum edunt et ob id vel mitiora vel draſtica purgantia nominantur. Pauca tantum et praeſtantiora ſeligere placet: praecipua nobis ſunt 1) *Radix Rhabarbari;* 2) *Folia Sennae;* 3) *Radix Ialappae;* 4) *Reſina eiuſdem;* 5) *Aloë;* 6) *Ireos ſuccus;* 7) *Nicotianae decoctum* et *fumus.*

§. 59.

RADIX RHABARBARI *); gall. *Racnie de Rhubarbe;* germ. *Rhabarbar.* Ex Aſia inprimis China adfer-

*) Eſt, vti plurimi volunt ex *Rhabarbaro vndulato* vel ex *R. compacto* LINN. Spec. 531. Obſeruationes tamen a Cl. HOPE inſtitutae (vid. Philoſophical. Tranſact. Vol. 55. p. 290.) euidenter comprobarunt officinalem radicem eſſe ex *Rhabarbaro palmato* LINN. cuius figuram vid. apud Cl. HOPE l. c. Tab. 11. 12. 13.

adfertur. Optima cenſetur, quae ex Ruſſia allata, in taleolos diſſecta et diffracta ex ſtriis punctuliſque flauis, rubicundis albidiſue, marmoris inſtar, notata, ſicca, mediocriter ponderoſa nec vermibus exeſa eſt. Odor eius ingratus, nauſeoſus eſt, ſapor itidem nauſeoſus, amaricans, glutinoſus, aliquantum adſtringens. Componitur ex particulis gummoſis, terreo mucilagineis et acido terreis, in quibus ſubſtantia nauſeoſa et amaricans continetur. Stimulat haecce radix fibras inteſtinales, neruos eorumque fluidum mouet, humores allicit, viſcidum pituitoſum aggreditur et partim ſoluit, caeterum humores inuoluit, exſiccat, roborat. Iuuat inprimis, vbi laxitas inteſtinorum et aquoſa acidaue humorum indoles deprehenditur; minus conuenit bilioſis, atrabilariis; nocet ſiccis et vbi ſpaſtica inteſtinorum conſtrictio et ſiccitas aluum claudit. Exhibetur in *puluere* a granis aliquot ad drachmam vnam, vel in *infuſo aquoſo*, vbi minus exſiccat, parum roborat. Praeparatur etiam ex Rhabarbaro ope liquorum ſalinorum ſic dicta *Anima Rhabarbari*, quae a drachma vna ad vnciam exhibita leniſſime euacuat, neque adeo exſiccat, vix roborat, nunquam relaxat. Non contemnendum quoque remedium purgans, tenellis inprimis proficuum, eſt *Syrupus Rhabarbari* ſeu ſic dictus *Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro*, qui ex decocto radicum cichorei, radice Rhabarbari, ſale tartari, ſaccharo et aqua cinnamomi per digeſtionem paratur, et a drachma vna ad vnciam dimidiam exhibitus aluum in tenellis leniſſime mouet, iisdemque fere ſemper prodeſt.

§. 60.

FOLIA SENNAE *); gall. *Feuilles de Senné*; germ. *Sennetblätter*. Ex Alexandria, Syria, Perſia et Aegypto ad nos veniunt. Alexandrina optima cenſentur. Optima folia ſunt acuminata, ex luteo viridia, odoris nauſeoſi, ſaporis acriuſculi, amaricantis, nauſeoſi. Continent partes reſinoſas, gummeas, terreas et ſubſtantiam oleoſam pinguem, in qua inprimis ſubſtantia acris nauſeoſa latet. Fibris inteſtinalibus ſtimulum ſat fortem applicant et humores alliciunt, tuncque euacuant. Praeſcribuntur abſque ſtipitibus; alias enim abſque torminibus excitatis non agunt. Proficua ſunt, vbi ſtimulo tantum opus eſt, hinc raro per ſe abſque aliis remediis laxantibus ſeu purgantibus additis propinantur. Exhibentur tantum in infuſo aquoſo. Coctionem non ferunt; alias vis omnis perit. Doſis a ſcrupulo vno ad drachmam vnam. Italica ſennae folia reiiciuntur.

§. 61.

RADIX IALAPPAE **); gall. *Racine de Ialap*; germ. *Ialappenwurzel*. Adfertur ex America. Optima cenſetur, quae ſat ponderoſa, vermibus non adeo exeſa, cinerea ſeu ex fuſco nigricans et reſinoſa eſt. Odor eius nauſeo-

*) *Caſſia* (Senna) LINN. Spec. 539. Figur. vid. apud DODONAEVM. Stirp. Hiſtor. Antwerp. 1616. p. 361.

**) Eſt, vti plurimi putant, ex *Mirabili* (Ialappa) LINN. Spec. 190 BLACKWELL. l. c. 404. Alii autumant, eſſe radicem *Conuoluuli* cuiuſdam vide Blackwell, l. c in explicatione.

nauſeoſus, deprehenditur, ſapor itidem nauſeoſus, quodammodo acris, amaricans. Partes continet terreas, gummoſas ſeu gummoſo-mucilagineas et reſinoſas. In his praecipua virtus eſt. Fibrarum inteſtinalium motum forti ſtimulo excitat, neruos eorumque fluidum mouet, idque et alios humores copioſe ad inteſtina deriuat, viſcidum primarum viarum et humores valde reſoluit, acres eoſdem inuoluit et deiectiones aluinas copioſas efficit. Conducit, vbi laxitas fibrarum inteſtinalium inſignis, aquoſa et pituitoſa humorum indoles et irritabilitas imminuta morbos producit; in genere, vbi forti ſtimulo opus eſt. Nocet, vbi ſiccitas, fibrae inteſtinales valde irritabiles et humores acres bilioſi ſunt. Propinatur in puluere a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam. Ingreditur etiam infuſa aquoſa vel aquoſovinoſa cumque ſalinis remediis miſceri ſe patitur.

§. 62.

RESINA IALAPPAE; gall. *Reſine de Ialap;* germ. *Jalappenharz.* Eſt productum artis pharmaceuticae. Paratur, ſi ſpiritus vini radici Ialappae adfunditur cumque ea per aliquot tempus digeritur, liquor poſtea tinctus colatur cumque aqua communi commiſcetur. Die praeterlapſo et liquore effuſo in fundo vaſis maſſa mollis reperitur, quae exemta aërique expoſita induratur et concretum fragile, reſinoſum, ex flauo rubicundum ſiſtit. Trita haec reſina odoris nauſeoſi eſt, et ſaporem itidem nauſeoſum, acriuſculum, amaricantem linguae imprimit. Particulae vel mere reſinoſae vel gummeo reſinoſae ſunt et ſubſtantiam valde

actiuam, volatilem, nauſeoſam, cum amaricante coniunctam fouent. Inſigniter ſtimulat fibras inteſtinales, fluidum nerueum alioſque humores valde exagitat, viſcidum primarum viarum attenuat et contenta inteſtinorum, copioſis humoribus ad inteſtina deriuatis, fortiter per anum educit. Prodeſt tantum in morbis chronicis, vbi laxitas inſignis, humores valde aquoſi, viſcidum pituitoſum abundans et irritabilitas valde imminuta eſt. Abſit ſiccitas, acrimonia quaecunque, bilioſa inprimis et putrida. Nocet ſemper, vbi irritabilitas viget, vel aucta ſpaſticas inteſtinorum contractiones comitatur. Nocet perſaepe, vbi ataxia ſpirituum; hinc neque bilioſis, neque atrabilariis neque tenellis dicta reſina propinanda eſt. Egregiam vtilitatem praeſtat, vbi inſigni ſtimulo opus eſt. Raro per ſe, ſed in forma pilularum propinatur, vbi talia adiungenda ſunt, quae tenacitatem et adhaeſionem reſinoſam corrigunt. Soluitur etiam in ſpiritu vini; niſi vero ſyrupum ſimul adiunxeris, talem ſolutionem vix laudabis. Teritur porro cum vitello ouorum ſeu amygdalis dulcibus tuncque ope aquae validum purgans, laudabile omnino, habebis. Non reiiciendi quoque ſunt liquores ſalini mediae indolis, cum dicta reſina triturandi. Datur ea a grano vno ad quinque, raro plura.

§. 63.

ALOE; gall. *Aloe;* germ. *Aloe.* Eſt ſuccus plantae *) ſimilis nominis, quae in America prouenit. Vel ſponte ex inciſa planta iſte ſuccus exſtillat, vel ex foliis expri-

*) *Aloë* (ſuccotrina) LINN. Spec. 458. BLACKWELL, l. c. 332.

exprimitur, poſtea in maſſam ſiccam, fragilem, ſplendentem, ex fuſco-nigricantem ſeu obſcure rubeſcentem induratur. Odorem habet mixtum nauſeoſum, balſamicum, fortem, ſaporem vero intenſe amarum, aliquantum acrem, itidem nauſeoſo-balſamicum. Partes continet gummoſas cum reſinoſis arcte connexas, terreſtres paucas. In vtriſque actiuae illae partes, odore et ſapore dignoſcendae, latent. Validum ſtimulum applicat Aloë fibrae muſculari, neruos commouet, bilem oleoſaſque humorum partes expandit, rarefacit, mouet, aquoſas partes diſſipat, viſcidum pituitoſum iners vel etiam acidum attenuat, acidam acrimoniam corrigit, putredini aduerſatur, exſiccat, vermes necat, humores copioſos ad inteſtina allicit, motuque periſtaltico aucto, contenta inteſtinorum fortiter per anum ſubducit. Prodeſt tantum in morbis chronicis, vbi laxitas inteſtinorum inſignis, irritabilitas imminuta, aquoſa et pituitoſa humorum indoles cauſam dedit. Nocet ſemper, vbi exceſſus fluidorum motus, humores reſoluti et defectus lymphae nutrientis ob imminutam denſitatem deprehenditur. Pro ſcopo euacuandi vix tuto Aloë per ſe niſi praeparata exhiberi poterit. Optimum praeparatum eſt *Extractum Aloës*, ope aceti vini confectum, et illud quidem, quod conſiſtentiam mellis ſpiſſioris habet. Propinatur a granis aliquot ad ſcrupulum vnum. Aloë praeterea cum liquoribus ſalinis mediae indolis, inprimis cum liquore tartari tartariſati vel etiam liquore terrae foliatae tartari trita et digeſta purgans non ſpernendum praebet. Alia vix laudem merentur. Cuncta haec valent de Aloë optimae notae, ſcilicet ſuccotrina

 dicta.

dicta. Reliquae ſpecies, hepatica nimirum et caballina non admittendae ſunt, interdum tamen hepatica bonae indolis locum habet.

§. 64.

SVCCVS IREOS NOSTRATIS ex recenti radice plantae, quae IRIS NOSTRAS *) gall. *Iris bleu;* germ. *Schwertlilie, blaue Lilie,* dicitur, exprimitur. Odor eius fortis et nauſeoſus eſt, ſapor acris, nauſeoſus. Subſtantiam fouet ſalinam, admodum ſubtilem, cum particulis mucilagineis ſeu gummoſis coniunctam. Fibram inteſtinalem vehementer irritat, humores et viſcidum pituitoſum potentiſſime reſoluit et crebriores deiectiones efficit. Succus iſte non niſi eo in caſu in vſum ducendus eſt, vbi ob inſignem laxitatem et irritabilitatem fere deletam et humores aquoſos copioſiſſimos, cum viſcido pituitoſo coniunctos, forti ſtimulo opus eſt et copioſae deiectiones aluinae excitandae ſunt. Si hydropicos nonnullos exceperis, vix aliis propinare audebis. Doſis eſto chochleare vnum aut duo.

§. 65.

NICOTIANA ſeu TABACVM **); gall. *Tabac;* germ. *Tabac.* Ortum habet in inſulis americanis, nunc etiam apud nos colitur. Odor foliorum nondum praeparatorum fortis eſt, caput quodammodo grauans, ſapor acris et amarus. Partes fouet oleoſas et gummoſo-reſinoſas

*) *Iris* (germanica) LINN. Spec. 55. BLACKWELL. 69.

**) *Nicotiana* (Tabacum) LINN. Spec. 258. BLACKWELL. 146.

reſinoſas cum terreis coniunctas. In oleoſis acris quaedam et narcotica ſubſtantia haeret, in gummoſo-reſinoſis vero amara et acris praecipue latet. Fibram muſcularem vehementer irritat, neruos inſigniter afficit, motumque fluidi neruei primo auget, poſthac imminuit, oleoſam partem humorum expandit et mouet, fibram inteſtinalem inſigniter ſollicitat et deiectiones vehementes per ſuperiora et inferiora producit. Vſus eiuſdem internus vix concedendus eſt, et praeparata huius herbae maximam partem reiicienda ſunt, valet tamen interdum *Decoctum* in clyſmate et *Fumus tabaci* ope inſtrumenti cuiuſdam in inteſtina admiſſi. *Decoctum*, ope inſtrumenti clyſmatici in inteſtina iniectum, fibram inteſtinalem inſigniter irritat, motum periſtalticum excitat, vel auget et promouet, contenta inteſtinorum ad eiectionem diſponit vel fortiter etiam educit, vermes necat et expellit. Caute ſemper vſurpandum eſt hoc decoctum, neque ſtatim in obſtructione alui quacunque ad illud confugiendum. Si indicatio aluinae euacuationis vrget, et clyſmata copioſa aliaque remedia prius vſurpata ſunt, tabaci demum decocto vtendum eſt, ſed multa adhuc cautione opus, ſique in vſum ducas, ſtatum inteſtinorum inflammatorium, teneram corporum conſtitutionem et valde irritabilem ſenſilemque eorum naturam ſollicite perpendas. Saepe nocuit hiſce neglectis; ſaepe profuit aliis quibuſvis remediis fruſtra tentatis. Idem praeſtat ſed efficacius multo agit *Fumus tabaci* immiſſus, ſique decoctum fruſtra vſurpatum fuerit, ad eum confugies. Valet in omni caſu, vbi decoctum vſurpatur; eadem quoque obſeruanda ſunt.

§. 66.

Alia inſuper a nonnullis interdum vſurpantur purgantia, a nobis vix vnquam commendanda. Sic Radix *Mechoacannae albae* praeſcribitur, quae vero, cum rariſſime in officinis bonae notae ſit, fruſtra propinatur. Alia, vt *Agaricus, Scammoneum, Colocynthidis* fructus ſeu poma, *Eſulae* radix, *Gratiola, Soldanella, Bryoniae* radix aliaque tanta vi corpus afficiunt et turbant, vt fere venena dici mereantur.

SECTIO II.

Euacuantia ſecundarum viarum.

§. 67.

Medicamenta, quorum particulae actiuae in primis viis non euoluuntur ſeu euolutae per eas cito tranſeunt, ſecundas vias ingrediuntur, ibidemque efficaces evadunt et ſolidorum humorumue ſtatu mutato materiem mutatam et motam per colatoria ſecundarum viarum expellunt, euacuantia ſecundarum viarum vocantur. Diuerſe autem agunt haec euacuantia et alia humores ad cutem, alia ad renes, alia ad oris cauitatem, alia ad nares, aliaque ad vterum deriuant, inſimulque materiem morbi, ſi quae detur, expellunt. Hinc dicta euacuantia in diaphoretica, diuretica, maſticatoria, ſialagoga, ſternutatoria et emmenagoga diuidimus.

CAPVT

CAPVT I.

Diaphoretica.

§. 68.

Diaphoretica medicamenta vocamus, quae fibram muſcularem irritando humorum motum intendunt, eos expandunt et rarefaciunt, materiem perſpirabilem augent et ad cutem determinant ibidemque modo magis minuſue ſenſibili euacuant. Ampliſſimum plerumque caput apud auctores hoc eſſe ſolet, et multa remedia diaphoretica dicuntur, quae quidem humores mouent et expandunt, ſed abſque aqua calida vel aceto calido vel etiam regimine calido non obſeruato, vix per cutem euacuant. Nos pro inſtituti ratione breuiſſimi hic eſſe cogimur et, praeter aquam calidam et acetum calidum, nullum remedium diaphoreticum agnoſcimus. Diaphoreticam tamen vim huius illiuſue fluidi, pro diuerſitate remediorum adjunctorum augeri poſſe, fatemur.

§. 69.

AQVA CALIDA per ſe quidem pro ſcopo, diaphoreſin excitandi, vix vſurpatur, interim tamen naturam hic conſiderare, praeſtat. Inter perplura corpora, oculis diſcernenda, aqua frigida ad ea pertinet, quae reſpectu aliorum ſimpliciſſima vocanda ſunt. Aqua calida autem paulo magis compoſita eſt, quam frigida, et inprimis particulas igneas in motu conſtitutas, ſimulque ſubſtantiam illam cauſticam, *Acidum pingue* §. 10. dictum, continet. Omnis quidem odoris ſaporiſue expers eſt aqua calida, ſenſum tamen acutum ab inhaerentibus particulis

ticulis igneis cauſticisue in magno motu conſtitutis linguae imprimit. Quapropter irritabile fibrae muſcularis in motum ciet, humores corporis penetrat, expandit, fluidiores reddit, mouet neque tamen mixtionem turbat, ſed materiem perſpirabilem, ex aqua plurima cum particulis ſalino-oleoſis ſubtiliatis, extricatis vnita, conſtantem auget, ad cutem determinat et euacuat. Ob hancce conſtitutionem aqua quidem calida ſemper, vbi diaphoretica indicantur, abſque noxa exhiberi poterit, ſed ad explicandas et ex humorum maſſa extricandas particulas morboſas ſaepe impos eſſe ſolet. Quocirca talia adiungenda ſunt, quae ob indolem ſalino-oleoſam, maſſam humorum profundius penetrant, diutius in corpore cum aqua commorantur, materiem morbi magis explicant, extricant, immutant, demum euacuant. Cum vero talia remedia ob reſoluentem inprimis vim id praeſtent, de iis potius in Capite de Reſoluentibus agendum eſt. Id tantum adhuc notamus, aquam calidam tunc omnino ad infuſa diaphoretica paranda eligendam eſſe, quando diaphoretica leniora, non adeo diu commorantia, nec immutantia requiruntur. Optime huic fini ſatisfaciunt 1) *Herba Oreoſelini;* 2) *Hyſſopi;* 3) *Scordii;* 4) *Chamaedryos;* 5) *Ligni Guaiaci;* 6) *Ligni Saſſafras;* 7) *Radicis Serpentariae Virginianae;* 8) *Radix Angelicae;* 9) *Imperatoriae;* 10) *Carlinae;* 11) *Cortex citri;* 12) *Cortex Aurantiorum;* quae cuncta ob reſoluentem et ſtimulantem et commouentem vim humores corporis eo diſponunt, vt aqua calida faciliime nunc materiem reſolutam et motam per colatorium cutis euacuare poſſit. De iſtis autem remediis ſuo loco praecipua notabimus.

§. 70.

§. 70.

ACETVM VINI; gall. *Vinaigre;* germ. *Weineſſig.* Eſt productum, quod ex vino per fermentationem ſecundam obtinetur. Calidum hoc multa cum aqua calida communia habet; differt vero, quod praeter particulas aqueas etiam oleoſo-acidas et terreas contineat. Quapropter maiorem non ſolum copiam particularum ignearum ſuſcipit, ſed et eaſdem diutius retinet. Odor eius fortis, acidus et gratus eſt, ſapor vero acidus, penetrans, acutus fere. Fibram muſcularem fortiter irritat, fluidum nerueum grate afficit, idque et alios humores valide mouet, neque tamen eos exaeſtuat, aqua calida longe diutius in corpore moras nectit, viſcidum bilioſum, atrabilarium, inflammatorium nec minus pituitoſum reſoluit, acrimoniam bilioſam, rancidam, alcaleſcentem, putridam corrigit, extricat, per cutim euacuat. Conducit in morbis acutis, vbi ob defectum motus fluidorum et ob alcaleſcentem ſeu putridam humorum indolem diaphoretica indicantur. Si adhuc minus efficax deprehenditur, ſique diutius in corpore commorari debet, cum eo aliiſque corporibus oleoſo-reſinoſis infuſa parari poſſunt, quae inſignis vtilitatis ſunt. Spectant huc inprimis radices ſic dictae alexipharmacae, *Radix Angelicae, Imperatoriae, Carlinae, Herbae Roriſmarini, Rutae, Saluiae* et eiuſmodi alia. Datur ab vncia ſemis ad vnam.

CAPVT

CAPVT II.

Diuretica.

§. 71.

Diuretica nominamus, quae ſtimulo in ſecundis viis excitato, ſalinam humorum partem augent, explicant, mouent, humorum motum abſque vllo aeſtu intendunt, ſecretionem humoris in vaſis renalibus copioſiorem efficiunt, atque aquoſos ſeroſosue humores, ſalinis vel oleoſo-ſalinis particulis foetas, per vias vrinarias copioſe educunt. Partes horum medicamentorum evolutae et actiuae partibus diaphoreticorum actiuis minus ſimplices minuſque ſubtiles et ſalinae ſeu oleoſo-ſalinae craſſiores ſunt. Praecipua nobis ſunt 1) *Turiones Aſparagi*; 2) *Radix Apii dulcis*; 3) *Radix Petroſelini*; 4) *Radix Dauci*; 5) *Raphanus*; 6) *Chaerefolium*; 7) *Baccae Iuniperi*; 8) *Herba Theae*; 9) *Radix Squillae*; 10) *Acetum vini*; 11) *Cremor et cryſtalli tartari*; 12) *Cineres plantarum cum vino acidulo*; 13) *Millepedes*.

§. 72.

TVRIONES ASPARAGI; gall. *Aſperge*; germ. *Spargel*. Sunt germina plantae indigenae *). Recentes ratione odoris et ſaporis diſquiſiti vix quidquam notabile offerunt. Decocti vero odorem quodammodo nauſeoſum ſpirant et ſaporem leniter mucilagineum, dulceſcentem, ibidemque aliquantum nauſeoſum habent. Fouent

*) *Aſparagus* (officinalis) LINN. Spec. p. 448. BLACKWELL. 332.

Fouent inprimis partes mucilagineas teneriores, fere gelatinoſas, quibuſcum ſubſtantia oleoſo-dulcis commixta eſt. *Decocti turiones* vel etiam eorum *Decoctum aquoſum* fibram muſcularem parum irritant, leniſſime reſolvunt, viſcidum tamen tenax vix aggrediuntur, ſed attenuatum iam et mobile pene factum magis attenuant, mouent et ad renes determinant. Acrimoniam acidam quodammodo corrigunt, immutant et per vias vrinarias euacuant. Hinc in hiſce turionibus tempore vernali natura nobis offert egregium auxilium, quod viſcidam et acrem materiem, per hyemem ob lentorem humorum motumque muſcularem intermiſſum collectam iamque per teporem vernalem aliquantum in motum ductam, vlterius mouet, corrigit, euacuat. Proſunt etiam in morbis viſcidis inprimis viarum vrinariarum, ſeu vbi acre quid, ſalinum acidum, cauſam dat. Nunquam iuuant, niſi viſcidum iam mobile factum fuerit. Saepe nocent vel ad minimum minus conueniunt atrabilariis ſiccisque corporibus, ſi vel cum aqua vel cum iuſculo carnoſo decocto ingeruntur. Aliter ſe gerunt, ſi cum aceto parati vſurpantur.

§. 73.

APII SATIVI *) ſeu DVLCIS RADIX; gall. *Racine de celeri;* germ. *Seleri.* Eſt radix globoſa, extus ex fuſco albeſcens, intus flaueſcens. Odore diſquiſita acre quid volatile cum nauſeoſo remixtum manifeſtat. Sapor aliquantum nauſeoſus, acriuſculus, dulceſcens

*) *Apium graueolens,* LINN. 379. BLACKWELL. 443.

ceſcens eſt. Partes continet mucilagineas teneriores, in quibus ſubſtantia acriuſcula et dulceſcens latet. Lenem ſtimulum applicat fibrae muſculari, parum reſoluit, viſcidum non niſi attenuatum iam adgreditur, tuncque vlterius ſoluit, attenuat, mouet, acrimoniam ſalſam inprimis corrigit, alias acrimonias inuoluit, interdum paulo immutat et per vias vrinarias educit. Prodeſt in morbis chronicis, vbi partes humorum aquoſae et acres abundantes per vrinam euacuandae ſunt. Conducit in morbis viſcidis viarum vrinariarum et pectoris. Decoctum aquoſum vel etiam cum iuſculo carnoſo paratum aliis praeparationibus praeferendum eſt. Praeſtat tamen interdum ſuccus expreſſus. Datur tempore matutino, vix etiam nocet verſus veſperam aliiſque diei temporibus.

§. 74.

RADIX PETROSELINI *); gall. *Racine de Perſil;* germ. *Peterſilienwurzel.* Eſt radix longa, pollicem craſſa. Color eius ex flaueſcente albidus eſt; odor quaſi dulcis, quodammodo acris et aliquantum etiam nauſeoſus; ſapor acriuſculus, dulceſcens, itidem ex parte nauſeoſus. Conſtat ex partibus gelatinoſis, mucilagineis tenerioribus et terreis, in quibus cunctis ſubſtantiae actiuae acres et dulces continentur. Leniſſime irritat fibram muſcularem, viſcidum tenax, iam attenuatum, vlterius reſoluit, acrimoniam humorum inuoluit, ſalſam corrigit et cum vrina educit. In iiſdem fere morbis prodeſt,

*) *Apium* (Petroſelinum) LINN. Spec. 379. BLACKWELL. 172.

prodeſt, vbi apium dulce vſurpatur, ſed magis efficax eſt et plus ſaepe praeſtat. *Decoctum aquoſum*, vel etiam cum iuſculis carnium paratum et *ſuccus expreſſus* optima praeparata ſiſtunt. Et tempore matutino et aliis temporibus vſurpatur.

§. 75.

RADIX DAVCI VVLGARIS *); gall. *Racine de Carotte;* germ. *Moehren, gelbe Rüben.* Eſt radix longa, ſaepe ad aliquot pollices craſſa. Color interdum flauus, interdum ex albo flaueſcens vel etiam rubeſcens eſt; odor quodammodo nauſeoſus; ſapor dulcis. Plures inſunt particulae gelatinoſo-mucilagineae, quae ſubſtantiam dulcem fouent. Fibram muſcularem ſtimulo admodum exiguo irritat, humores demulcet et nutrit, acrimoniam quamcunque inuoluit, ſalſam egregie corrigit, viſcidum morboſum attenuatum magis adhuc attenuat et per vrinae vias educit. Conuenit in morbis chronicis, vbi ob acrimoniam defectus lymphae nutrientis eſt; iuuat, vbi acrimonia ſalſa et putrida etiam dolores producit. Prodeſt demum, vbi aquae ſtagnantes per vias vrinarias educendae ſunt. Itaque in multis morbis pectoris et viarum vrinariarum laudabile habebis medicamentum alimentoſum. *Succus* eiuſdem *expreſſus* prae reliquis commendandus eſt. Laudant eum inprimis, vbi vlcera mali moris, carcinomatica ſunt. Non ſpernendum etiam eſt *Decoctum aquoſum* vel cum iuſculis carnoſis paratum.

§. 76.

*) *Daucus* (Carota) LINN. Spec. 348. BLACKWELL. 546.

§. 76.

RAPHANI RADIX *); gall. *Racine de Raifort*; germ. *Rettig*. Eſt radix globoſa, pugni magnitudinem perſaepe aequans; extus cinerea ſeu nigreſcens; intus alba. Odorem fere nullum habet, niſi eum aliquantum nauſeoſum dixeris; ſapor acris eſt et dulceſcens. Partes continet mucilagineas cum pluribus terreis coniunctas. In his continetur ſubſtantia acris dulceſcens cum multo aëre elaſtico coniuncta. Fibram muſcularem ſtimulo haud leni afficit, humores reſoluit et mouet; viſcidum morboſum attenuat, acrimonias quodammodo inuoluit, ſalſam inprimis corrigit et per vias vrinarias educit. Vſum habet in morbis chronicis viſcidis, primarum viarum, pectoris et viarum vrinariarum, et vbi aquae ſtagnantes viſcidae attenuandae et per vrinam educendae ſunt. Succus expreſſus tantum in vſum ducendus eſt, tepide tamen ingerendus vel cum aqua calida prius miſcendus, ne ob aërem elaſticum incommoda producat. Cum ſaccharo inprimis mixtus vel etiam melle egregium diureticum eſt. An calculoſos iuuat? Aliquos forte, certe non omnes.

§. 77.

CHAEREFOLIVM ſeu CHAEROPYLLVM **); gall. *Cerfeuil*; germ. *Koerfelkraut*. Odor huius plantae fortis eſt, et quaſi mordax, inprimis ſi digitis conteritur;

*) *Raphanus* (ſatiuus) LINN. Spec. 935. BLACKWELL. 81.

**) *Scandix* (Cerefolium) LINN. Spec. 368. BLACKWELL, 236.

teritur; ſapor acris, dulceſcens. Partes continet mucilagineas et terreas paucaſque reſinoſas et oleoſas aethereas. In his inprimis, nimirum oleoſis, ſubſtantia acris, dulceſcens, actiua latet; haeret etiam ex parte in reſinoſis mucilagineisue partibus ſed minori in copia, neque etiam tam efficax cenſenda. Viuide ſatis fibram muſcularem afficit, humores penetrat et ſoluit eorumque partes ſalino-oleoſas attenuat et mouet; viſcidum morboſum reſoluit, acrimoniam acidam et unguinoſo-acrem corrigit, inuoluit, profunde corpus penetrat, materiem morboſam mobilem fere vltro mouet et per vrinam educit. Prodeſt in morbis chronicis, inprimis, vbi humores acres corrigendi, ſubſtantiae acres, nondum plane extricatae et viſcido implicitae, mouendae et per vrinam euacuandae ſunt. Iuuat corpora laxa, pituitoſa, humoribus acribus ſcatentia, non aeque ſicca, rigida, ſcorbutica. Laudem merentur *Aqua* eius deſtillata, quae diu in corpore non commoratur et aliorum actionem adiuuat, dein *Succus expreſſus,* qui inprimis vires, ſupra memoratas, habet, demum *Infuſum aquoſum* vel cum iuſculis paratum, quod paulo minorem vim habet et ſaepe cum ſucco ſimul in vſum ducitur. Propinatur tempore matutino.

§. 78.

BACCAE IVNIPERI; gall. *Bayes de Genevre;* germ. *Wachholderbeer.* Sunt fructus arboris, quae *Iuniperus* *) dicitur. Hinc inde in Germania in ſyluis proue-

*) *Iuniperus* (communis) LINN. Spec. 1470. BLACKWELL. 187.

prouenit. Color Baccarum nigreſcens eſt, odor quaſi dulcis, mixtus balſamico aromaticus; ſapor primo dulcis, tum amaricans, acris. Conſtant eae ex particulis terreis cum pluribus unguinoſo-mucilagineis, oleoſis aethereis et reſinoſis mixtis. In mucilagineis ſubſtantia dulcis, in oleoſis aethereis itidem dulcis inſimulque balſamico-aromatica acris, inque reſinoſis acris aromatica amaricans ſubſtantia latet. Parantur ex iis *Infuſum aquoſum* et *vinoſum, Aqua deſtillata, Oleum aethereum, Eſſentia ſpirituoſa, Spiritus abſtractitius* et *Roob.* Ad diuretica pertinent inprimis infuſum aquoſum et vinoſum, aqua deſtillata et oleum aethereum. *Infuſum aquoſum* lenem vim irritantem habet, humores ſalſos et putreſcentes inuoluit, paululum corrigit, viſcidum iam reſolutum mouet et per vrinae vias hoc et aquas ſtagnantes educit. Idem fere de *Aqua deſtillata* dicendum eſt, praeter id, quod magis irritet et moueat, vix inuoluat, citiuſque per corpus tranſeat. Maiorem vim habet *Infuſum vinoſum,* eo inprimis in caſu vtile cenſendum, vbi irritabilitas ob inſignem laxitatem et humorum indolem nimis aquoſam valde imminuta eſt, et humores idcirco maiori ſtimulo vique commouente opus habent. Maxima vis irritans eſt *Oleo aethereo,* cum ſaccharo trito: reliquis iſtud calidius cenſendum magis mouet, aquoſas partes magis diſſipat et magis exſiccat, ideoque non niſi in inſigni laxitate et humorum aquoſa et pituitoſa indole vſurpandum eſt. Reliqua praeparata vim diureticam vix habent.

§. 79.

§. 79.

HERBA THEAE *) THEA SINENSIVM; gall. *Thee;* germ. *Thee.* In America et inprimis China colitur. Multae numerantur ſpecies; praecipuae ſunt *Thea Caeſarea* ſeu *Imperialis,* germ. *Kaiſerthee,* quae folia tenerrima nondum euoluta exſiccata ſiſtit; alia bonae notae ſpecies eſt *Thea Viridis,* germ. *Grünthee,* quae ex euolutis et nondum euolutis coniunctim exſiccatis foliis conſtat, alia demum ex foliis iam explicatis colligitur et *Theebou* nominatur. Vltima haec ſpecies reſpectu bonitatis valde diuerſa eſt. Omnes tamen ex vno eodemque frutice collectae eſſe, dicuntur. Odorem habent mixtum balſamicum et quodammodo nauſeoſum, ſaporem itidem balſamicum, nauſeoſum et ſubadſtringentem. Ex partibus conſtant gummoſo-mucilagineis, reſinoſis paucis pluribuſque acido-terreis. Quo magis hae eminent, quoue minor balſamicae ſubſtantiae copia ineſt, eo vilior cenſetur ſpecies. *Infuſum* tantum *aquoſum* ex eis paratur, quod hauſtum fibram muſcularem leni ſtimulo afficit, humores aliquantum attenuat, viſcidum morboſum mobile iam factum et reſolutum vltro diluit, mouet et ad renes deriuat, ſaepeque euacuat. Hinc declarandum, cur famem excitare et nutritionem laedere dicatur. Sed recens paratum ſtatimque in vſum ductum id praeſtat, diu digeſtum balſamica illa ſubſtantia maximam partem orbatur et adſtringens acido-terrea euoluitur, quae humores vix attenuat, nec viſcidum reſoluit, tenacitati et lentori anſam prae-

 bet

*) *Thea* (bohea) LINN. Spec. 734. BLACKWELL. 352.

bet et laxitatem partium minuit. Prius corporibus viſcidis, non adeo irritabilibus et ſiccioribus prodeſt, poſterius laxis, aquoſis, frigidis, debilibus conducit. Adeo autem potus Theae in conſuetudinem abiit, vt vix ad eum confugiant medentes; interim calide ſi bibitur, laudabile et leniſſimum praebet diaphoreticum, in morbis acutis et plurimis chronicis vtile; ſi tepide hauritur, diureticam vim habet, inque multis morbis concedi poterit. Phthiſici tamen et qui lenta febre laborant, parcius Theae infuſo vtantur. *Decoctum* adſtringens eſt: hinc ad gargariſmata ſaepe vtile.

§. 80.

RADIX SQVILLAE *) ſeu SCILLAE; gall. *Racine de Scille, Oignon marin;* germ. *Meerzwiebel.* Ex Hiſpania, Luſitania, Sicilia aliiſque maritimis regionibus adfertur. Eſt radix cepacea, bulboſa, pugnum et vltra craſſa, ex multis ſquamis et lamellis, ſibi inuicem impoſitis conſtans. Color eius extus eſt rubeſcens interdum ex albo flaueſcens, intus albidus; odor fere nullus, quodammodo tamen nauſeoſus. Partes habet complures terreas, mucilagineas et nonnullas reſinoſas. In his aeque ac mucilagineis ſubſtantia valde actiua, ſubtilis, amara, acris et nauſeoſa haeret. Parantur ex hacce radice *Puluis, Acetum, Oxymel* et *Extractum aquoſum.* Haec cuncta vim diureticam habent, fibram muſcularem inſigniter irritant, humorum condenſationem minuunt,

*) *Scilla* (maritima) LINN. Spec. 442. CAR. CLVSII Rar. Plant. Hiſt. Antv. 1601. Libr. I. p. 171.

nuunt, neruos commouent, eorumque fluidi motum irregularem reddunt, viſcidum morboſum potentiſſime reſoluunt et reſolutum aquasue copioſas per vias vrinarias educunt. *Puluis*, qui ex radice exſiccata paratur, reliquis diutius in corpore commoratur, et eo inprimis in caſu vtilis eſt, vbi ob inſignem laxitatem et irritabilitatem imminutam et ob pituitoſum viſcidum copioſum, cum multa aqua coniunctum, remedia valde diuque ſtimulantia et reſoluentia requiruntur. *Extractum aquoſum* idem fere praeſtat, ſed actionem ſuam citius abſoluit, et pulueri antecellit, ſi viſcidum tenax magis eſt. Caueas, ne hoc et puluerem corporibus ſiccis, macilentis, atrabilariis, irritabilibus et ſenſibilibus exhibeas. Mitius agit *Acetum Squilliticum*, citius operatur citiuſque actionem abſoluit; reliquis tamen praeferendum eſt, ſi praeter viſcidum pituitoſum aquae ſtagnantes putridae corrigendae et per vrinam euacuandae ſunt. Mitiſſimum inter haec *Oxymel ſcilliticum* eſt: paulo diutius quam acetum ſcilliticum in corpore moras nectit, viſcidum fere quodcunque egregie reſoluit, humores acres, billioſos, putridos, alcaleſcentes inuoluit, corrigit, paululum humectat, relaxat et vrinae fluxum copioſiorem reddit. Vſum habet in morbis chronicis aeque ac acutis. Conuenit pituitoſis, atrabilariis, ſiccis; ſi tamen laxitas inſignis et aquoſa humorum colluuies deprehenditur, parcius vſurpandum eſt. Si acida acrimonia abundat, eaque morbis anſam dat, parum prodeſt. Notandum in genere eſt de ſcilliticis, ea caute vſurpanda eſſe, vbi irritabilitas inſignis, ataxia ſpirituum, humores reſoluti et lympha nutriens valde attenuata eſt. Saepe

in tali ſtatu nocuit; hinc radix venenata dicta, in alio ſtatu non eſt, ſemper tamen caute vſurpanda.

§. 81.

ACETVM VINI §. 34. egregium diureticum eſt, vſumque habet, ſi viſcidum atrabilarium vel etiam pituitoſum cum vnguinoſa materie coniunctum et tenax eſt, humores织 bilioſi, putridi, alcaleſcentes ſunt, inque eiuſmodi ſtatu diuretica indicantur. Plus tamen prodeſt, ſi viſcidum mobile iam eſt, et humores putridi immutandi et euacuandi ſunt.

§. 82.

CREMOR et CRYSTALLI TARTARI ex producto fermentationis, quod *Tartarus* dicitur, obtinentur. Tartarus nimirum affuſa aqua coquitur, tuncque inter coquendum ſpumam in ſuperficie eiicit, quae cochleari ferreo, foraminibus pertuſo, ablata et exſiccata pulverem album, inodorum, acidum ſiſtit. Si vero tartarus, aqua ſolutus, ab igne remouetur et cryſtalliſationi exponitur, cryſtallos ſalinas acidas habebis. Vtrumque productum ratione indolis viriumque vix differt. Conſtant ex particulis acidis, quae cum terreis oleoſiſue coniunctae ſunt. Modice fibram muſcularem irritant, denſitatem humorum minuunt, viſcidum tenax reſoluunt, acrimoniam bilioſam, rancidam, alcalinam corrigunt et per vrinam euacuant. Proſunt in morbis chronicis, vbi irritabilitas ſolidorum ob viſcidum tenax atrabilarium imminuta et humores acres alcalini ſtagnantes corrigendi, euacuandi ſunt. Iuuant in morbis acutis, vbi ſiccitas et viſcidum inflammatorium tollendum, in acu-

tis

tis aliis, vbi putrida et alcalina materies immutanda et ex mixtione humorum exturbanda perque vias vrinae euacuanda eſt. Dantur pro ſcopo diuretico tempore matutino aut verſus noctem vel etiam aliquoties per diem a drachma dimidia ad vnam.

§. 83.

CINERES PLANTARVM, cum vino acidulo mixti, etiam laudabile diureticum praebent. Plantae namque combuſtae cineres dant, qui praeter terreas complures ſalem alcalinum, cum inflammabilibus partibus adhuc coniunctum, fouent. Cineres itaque cum vino acidulo mixti fluidum ſiſtunt ſalino-ſpirituoſum, quod et partes ſalinas acidas et partes ſalinas mediae indolis et ſpirituoſas continet. Fortiter hocce remedium fibram muſcularem irritat, humores attenuat et mouet, viſcidum pituitoſum, cum multa aqua coniunctum, reſoluit, ad renes deriuat perque vrinam euacuat. Iuuat inprimis, vbi aquoſa humorum colluuies neque mera pituitoſa indoles et ob eam cauſam irritabilitas valde imminuta humorumue lentor adeſt. Miſcetur horum cinerum vncia vna cum vnciis octo vini rhenani aut alius aciduli et mixtura haec tempore matutino, duabus horis ante prandium et verſus noctem vſurpatur.

§. 84.

MILLEPEDES ſeu ASELLI *); gall. *Cloportes*; germ. *Kellerwürmer, Kellerſchaben.* Ad inſecta terreſtria pertinent. Parua ſunt, pollicem interdum longa et

*) *Oniſcus* (Aſellus) LINN. Syſt. Nat. edit. Xma, p. 637.

et aliquot lineas craſſa; cute obteguntur ſquamoſa, articulata, ad latera dentata, flaueſcente cinerea, et pedibus quatuordecim et anterius antennis duabus inſtructa ſunt. Odorem nullum, ſaporem vero viſcoſum, paulo ſalſum habent. Partes continent mucilagineas teneriores, in quibus particulae ſalinae valde ſubtiles, particulis ſalinis mediae indolis analogae, occultantur. In vſum ducuntur recentes et quidem *Succus* eorum, qui e viuis iſtis animalculis contuſis obtinetur, et vel per ſe ad cochleare vnum vel cum vino acidulo mixtus vſurpatur. Lenem iſte fibrae muſculari applicat ſtimulum, humores parum attenuat, viſcidum morboſum laxum, multa cum aqua coniunctum et aliquantum iam attenuatum, aggreditur, vltro reſoluit, idque et aquas ſtagnantes ad renes deriuat ibidemque euacuat. Iuuat in morbis chronicis vbi laxitas ſolidorum et pituitoſa aquoſaue humorum indoles deprehenditur. Vtilis inprimis cenſetur, ſi materies viſcida, fere ſoluta, et aquae ſtagnantes, vix alcalinae, duce opus habent, quo ad renes deriuari poſſint. Si tamen indoles humorum alcalina et pituitoſum viſcidum, laxum tamen, copioſum adfuerit, ſuccum millepedum cum vino acidulo dabis, tuncque in multis morbis viſcidis et aquoſis egregium remedium diureticum et reſoluens habebis leniſſimum.

CAPVT III.

Maſticatoria.

§. 85.

Maſticatoria remedia vocantur, quae, in ore detenta et maſticata, acri ſenſu excitato fortique ſtimulo appli-

applicato copioſum affluxum humorum excitant, viſcidum ibi ſtagnans attenuant et mouent, ita, vt facile nunc per exſcreationem vel exſpuitionem eiici poſſit. Specifica haec vis dicenda non eſt, ſed generalis tantum et talis omnino, quae compluribus remediis competit. Hinc caput hoc ampliſſimum quidem eſt, multaque ſunt, quae, in ore detenta et maſticata, talem affectum edunt; ſed in generalioribus ſubſiſtere, neque de vllo corpore ſigillatim hic agere, placebit.

§. 86.

Pertinent ad haecce remedia omnia aromatica et acria cuncta, quae et acrem ſenſum et acrem ſtimulum linguae oriſque cauitati applicant. Cum vero iſta vis in aliis maior, in aliis minor ſit, ea tantum tanquam maſticatoria in vſum medicum eligenda ſunt, in quibus vis iſta inſignis eſt et reliqua ſuperat, neque tamen linguam oriſque partes laedit et corrumpit. Sic Radix Pyrethri et Pimpinellae nec non Piperis grana huic ſcopo ſatisfaciunt, in vſum inprimis ducenda, ſi ob inſignem viſcidi copiam linguae motus valde imminuitur aut fere tollitur; in alio caſu, vbi viſcidum copioſum non eſt, neque linguae motus imminutus, et tamen maſticatoria neceſſaria ſunt, alia leniora, e. g. Radix Carlinae vel Cortex Cinnamomi, vel alia, leni ſtimulo praedita, praeſtant.

CAPVT IV.

Sialagoga.

§. 87.

Sub ſialagogorum ſeu ſaliuantium remediorum nomine non ea intelligimus medicamenta, quae ſe et excretionem ſaliuae augent, ſed quae in ſanguine aliisque humoribus talem mutationem producunt, vt viſcidum morboſum, iis inhaerens, extricetur, moueatur et ad vaſa ſaliualia copioſius adpellatur, ita, vt emiſſariis apertis, demum ex corpore per os euacuari poſſit. Medicamenta, quae hoc praeſtant, alia prorſus ratione, quam ea, agunt, quae ſtimulando et reſoluendo viſcidum morboſum aggrediuntur, mutant et euacuant. Inter innumera, quae occurrunt, producta naturalia et artefacta *Mercurium viuum* et *Mercurium dulcem* praecipua eſſe, quibus vis ſaliuans adſcribitur, notamus.

§. 88.

MERCVRIVS VIVVS ſeu ARGENTVM VIVVM; gall. *Argent vif, Mercure;* germ. *Queckſilber.* Eſt ſubſtantia metallica, fluida, digitos nequaquam humectans, admodum ponderoſa, colore argenteo ſplendens. Reperitur in Iſtria, Hungaria, Tranſyluania, Germania et aliis etiam prouinciis. Occurrit vel natiuus, virgineus dictus, vel ſulphure inprimis mineraliſatus. In vſum ducendus, qui vel natiuus vel mineraliſatus ſuper limaturam martis ex retorta deſtillatus ſicque depuratus tranſit. Depuratus ſic mercurius non niſi terebinthina aut alio modo exſtinctus ſicque ingeſtus vel terebinthina

ſuba-

ſubactus cumque axungia porcina mixtus in vnguento externe applicatus vim ſaliuantem habet. Singulari prorſus et alio ab aliis remediis diuerſo plane modo agit et ſaliuationem ob trinam qualitatem, ipſi ſoli propriam, nimirum ob pondus, ob figuram ſphaericam et ob inſignem diuiſibilitatem producit. Trina haecce qualitas ſemper coniuncta requiritur; demta enim vna tollitur vis ſaliuans. Fibram muſcularem premendo irritat, viſcidum morboſum nequaquam reſoluit et immutat, ſed perforando quaſi laxius minuſque cohaerens reddit, neque quoad mixtionem ſed quoad aggregationem diuidit, ſicque eo diſponit, vt ope aquae, copioſius ſimul ingerendae, a ſuperante vi ipſius naturae humanae moueri, circumduci perque nullum colatorium aptius quam per colatorium ſaliuale euacuari poſſit. Vſum tantum habet in morbis chronicis, vbi inſignis laxitas humorumue ſtatus maxime pituitoſus cauſam dedit. Siccis, mucilentis officit; nocet ſemper, quando viſcidum pituitoſum deeſt; nocet maxime, vbi acres humores putridi, alcalini vel etiam acidi latent. Nullam enim acrimoniam corrigit, ſed viſcido mobili facto acres humores liberat, mouet et ad agendum aptos reddit. Si interne vſurpandus eſt, mercurii viui vncia dimidia cum terebinthinae drachma dimidia triturando exſtinguenda cumque gummi arabico aut tragacantha in pilulas efformanda eſt. Externe vero terebinthina exſtinctus cum axungia porcina commiſcendus ſicque articulationibus inungendus eſt. Sed vſus mercurii externus ad excitandam ſaliuationem laudem et applauſum eorum, qui mercurium cognoſcunt, nunquam merebitur.

§. 89.

§. 89.

MERCVRIVS DVLCIS; gall. *Mercure dulce;* germ. *Milder Queckſilber Sublimat.* Eſt productum chemicum, quod ex mercurio ſublimato corroſiuo et mercurio viuo paratur. Plerumque partes duae mercurii viui cum parte vna mercurii ſublimati corroſiui teruntur aut tantum mercurii viui additur, quantum mercurius ſublimatus corroſiuus per triturationem, diu continuatam, ſubigere valet et globuli mercuriales non ſubacti relinquuntur. Oritur inde puluis cinereus, qui per ſublimationem in ſubſtantiam ſalinam mutatur. Rite praeparatus mercurius dulcis ſubſtantiam ſiſtit ponderoſam, compactam, ſalinam, ſplendentem, quae colorem habet aqueum, odorem et ſaporem nullum, quaeque in aqua calida ſolubilis eſt cumque aqua calcis viuae mixta colorem gryſeum aut cinereum producit. In praeparato hoc acidae particulae mercurii ſublimati corroſiui ab addito mercurio viuo mitiores factae minuſque concentratae ſunt, neque tam arcte, quam in mercurio ſublimato corroſiuo cum omnibus globulis mercurialibus cohaerent. Eſt itaque ſubſtantia, vbi multo plures globuli mercuriales cum paucioribus acidis quam in ſublimato corroſiuo coniunctae ſunt, quam ob rem mitiorem vim habet et efficaciam. Nihilo minus tamen efficax valde eſt remedium, fibram muſcularem viuide irritat, humores corporis aeque ac viſcidum morboſum penetrat, diuidit et ex parte reſoluit et mouet perque varia colatoria praecipue autem per colatorium ſaliuale euacuat. Vſum tantum habet in morbis chronicis, vbi viſcidum pituitoſum copioſum, vel iners vel cum vnguinoſa

noſa materie vel etiam cum acido intimius immixto coniunctum, per totum corpus inque interſtitiis vaſisque ſubtilioribus haeret, et hanc ob cauſam irritabilitas valde imminuta laxitaſque inſignis producta eſt. Nocet ſiccis, macilentis corporibus; nocet, vbi aquoſa humorum colluuies, humores reſoluti et extrauaſati nec non defectus nutritionis eſt; nocet inſigniter, vbi fibra rigida, viſcidum atrabilarium et acrimonia bilioſa, putrida vel euoluta, vel viſcidae cuidam materiae inhaerens, deprehenditur. Nocet ſemper, vbi fibra debilis et valde irritabilis reſiſtere neſcit. Nocet corporibus neruoſis et cachecticis quibusuis. Datur pro doſi ad grana duo vel quatuor, intetdum vltra. Nunquam mercurius dulcis in puluere ſed vel in forma boli aut pilularum, quae optima, aut alia exhibendus eſt. Optime ingeritur tempore matutino: vix bene operatur, niſi decocta reſolventia et demulcentia copioſe ſimul ingeruntur, ſique per aliquot dies vſus eiuſdem continuatur, ſaliuationem excitat. Saepius ſublimatus effectu hoc deſtuititur: idem obſeruari, ſi cum camphora ingeratur, dicunt. Purgantibus alias iunctus primas vias purgat. Caute ſemper propinabis hoc ſublimatum, et niſi cognitum ſatis habueris, ab vſu eius abſtinebis.

CAPVT V.

Sternutatoria.

§. 90.

Sternutatoriorum nomine in genere ea inſigniuntur remedia, quae naribus applicata viſcidum ibidem haerens attenuant et ſtimulo excitato vel ad euacuationem

nem aptum reddunt vel idem euacuant. Si effectum hunc abſque ſternutatione producunt, apophlegmatizantia ſeu ptarmica audiunt, ſin vero ſternutationem producunt, errhina ſeu ſternutatoria vocantur. Partes vtrorumque vel euolutae et admodum ſubtiles vel minus ſubtiles minuſque actiuae ſunt, et ſaepe ſolo tantum mechanico ſtimulo actionem ſuam abſoluunt.

§. 91.

Proprie quidem ſternutatoria vis ſpecifica non eſt, et ſternutatoria remedia eodem modo, vt de maſticatoriis §. 85. dictum fuit, ſe habent. Agunt enim irritando et reſoluendo: quae vires generales ſunt et multis remediis propriae. Quapropter, licet ampliſſima foret tractatio, pauca tantum proponere, tenemur.

§. 92.

Quicquid acrem ſenſum fortemque irritationem in lingua excitat, atque etiam ſaporem leniſſimum producit et de ſe odorem ſpargit, vel ptarmicum vel ſternutatorium remedium eſt, ſi tunicae pituitariae applicatur. Talis autem interdum ſtimulus eſt, vt effectus vix laudabilis, deleterius haud raro, producatur. Quare non omnia acria, ſed ea eligenda ſunt, quae corpus abſque motu conuulſiuo per ſternutationem mouent, neque vllo modo tunicam pituitariam arrodunt et deſtruunt. Inter omnia autem, quae tanquam ſternutatoria vſus comprobauit, nicotianae inprimis herbae puluis attendendus eſt, ſique adhuc aliud mitius ſternutatorium requiritur, ſaccharum reliquis cunctis praeſtat.

§. 93.

§. 93.

PVLVIS TABACI ſeu NICOTIANAE §. 65. naribus adtractus, tunicam pituitariam vehementer afficit, neruos commouet, humores allicit, viſcidum disiungit, attenuat et ſternutatione excitata euacuat. Prodeſt, vbi viſcidum pituitoſum copioſum, laxum et mobile iam, nâres parteſque ſuperiores obſidet, et demum abducendum eſt. Nocet, quando viſcidum admodum tenax valdeque impactum haeret. Caue ne puluere hoc abutaris eoque humores et acria ad caput deriues. Variis caeteroquin lixiuiis nicotianae folia corrigere et ad vſum communem adaptare allaborant, quae quidem methodus non ſemper reiicienda ſed ita ſaepe comparata eſt, vt plus damni quam vtilitatis habeat.

§. 94.

SACCHARVM; gall. *Sucre;* germ. *Zucker.* Eſt illud, prout inter noſtros venditur, ſubſtantia ſolida vel dura compacta, vel friabilis vel farinacea, alba, vel ex albo flaueſcens vel flaua, inodora vel odoris melliti, dulcis. Obtinetur ex ſucco, qui in vtraque India ex *Arundine ſaccharifera* *) expreſſus cumque lixiuio ex cineribus et calce viua parato coctus, colatus et inſpiſſatus in Europam transfertur, vbi in variis prouinciis ope lixiuii, ex cineribus calce viua et ſanguine parati, vlterius praeparatur inque ſubſtantiam plus minus compactam

*) *Saccharum* (officinarum) LINN. Spec. p. 79. G. C. RVMPH. Herb. Amboin. Amſtel, 1747. fol. Vol. V. Tab. 74.

pactam et albam induratur. Prima ſpecies flauam quaſi farinam ſiſtit, quae *Moſcovade* dicitur; ex hac per depurationem paratur Saccharum Farinaceum, germ. *Farinzucker*, quae ſubſtantiam farinaceam ex flauo albeſcentem praebet. Ex hac paratur ſaccharum magis compactum, valde tamen friabile, primaque ſpecies coniformis, quae *Lumpenzucker* dicitur. Ex hac conficiunt Saccharum magis depuratum, quod *Melis* vocatur. Hoc rurſus ſoluto et depurato *Saccharum Refinatum* oritur. Ex hoc *Saccharum Finiſſimum* paratur, quo demum ſoluto et depurato variae ſpecies *Sacchari Canarienſis* dicti obtinentur. Si prima ſpecies, *Moſcovade* dicta, ſoluitur et ad cryſtalliſationem reponitur, cryſtalli flauae obtinentur, quae Saccharum Candum flauum, germ. *Brauner Zuckerkand*, ſiſtunt. Albae cryſtalli, germ. *Weiſſer Zuckerkand*, ex ſaccharo canarienſi ſoluto et ad cryſtalliſationem repoſito, obtinentur. Conſtat ſaccharum ex ſubſtantia ſalino-dulci, quae facillime ab aqua ſoluitur, facile fermentationem ſubit et cito ſaepe in acidum mutatur. Cum dulci illa ſubſtantia alia oleoſo-mucilaginea vel alia alcalino-calcarea coniuncta eſt. Haec ſaccharo, ſaepius depurato, illa vero vilioribus ſic dictis ſpeciebus ineſt. Quo magis enim depuratur, eo magis ſubſtantia oleoſo-mucilaginea cumque hac etiam portio non exigua ſubſtantiae dulcis ſeparatur, eoque magis altera illa, ex lixiuio adueniens, ſubſtantia alcalino-calcarea locum ſupplet. Vt ptarmicum vel ſternutatorium cnnſideratum iuuat, ſi viſcidum tenax, valde impactum, nares obſidet, vel leni tantum ſtimulo ad educendam materiem pituitoſam opus eſt, vel humor

acris

acris, ſalſus, rodens vellicat nareſque arrodit; tunc autem vel in forma pulueris vel aqua tepida ſolutum pituitariae membranae applicandum eſt.

CAPVT VI.

Emmenagoga.

§. 95.

Emmenagoga remedia vocantur, quae ob partes ſalino-oleoſas ſubtiliores, vel oleoſo-ſpirituoſas vel etiam oleoſo-balſamicas, ad ſanguinem delatas, vaſa ſanguifera ſtimulant, oleoſam partem humorum, inprimis ſanguinis, augent et expandunt, vniuerſam humorum maſſam cito motu per totum corpus ducunt, inque foeminis ad vterum deriuant, oſtiisque vaſorum iam apertis euacuant. Plurimis quidem ſubſtantiis optimo iure locus hic concedi poſſet; inter haec tamen ſelectum facere et talia hic pertractare animus eſt, quae, menſtruis ob ſolum duntaxat languorem humorum frigidamque eorum indolem non rite fluentibus vel plane ſuppreſſis oſtiisque vterinis ſatis apertis, vſurpata effectu ſalutari raro deſtituuntur. Perpendamus itaque 1) *Saluiam;* 2) *Roremmarinum;* 3) *Matricariam;* 4) *Mentham;* 5) *Meliſſam;* 6) *Pulegium;* 7) *Abrotanum;* 8) *Crocum;* 9) *Aloen.* Alia, emmenagoga vi interdum praedita, omittimus, obque vires alias eminentiores conſpicua, in aliis capitibus conſiderabimus.

§. 96.

SALVIA HORTENSIS *); gall. *Sauge;* germ. *Salbey.* Odor huius plantae fortis, balſamicus eſt, ſapor quodammodo acris, amaricans, balſamicus. Partes fouet terreas complures, oleoſas, reſinoſas et paucas gummoſo-mucilagineas. Oleoſis inprimis ſubſtantia acris, amaricans, balſamica, et reſinoſis acris, amaricans ineſt. Parantur ex foliis ſaluiae 1) *Infuſum aquoſum;* 2) *Infuſum vinoſum;* 3) *Infuſum ſpirituoſum;* 4) *Infuſum acetoſum;* 5) *Aqua deſtillata;* 6) *Oleum aethereum.* Omnia haecce praeparata vim ſtimulantem, calefacientem, exſiccantem, neruinam, antiputridam habent, aliqua tamen in eorum actione eſt diuerſitas. Sic *Infuſum aquoſum* leniſſimum eſt, leniter fibram muſcularem ſtimulat, neruorum fluidum alioſque humores mouet, oleoſas eorum partes aliquantum expandit, aquoſas minuit, putredini aliquatenus reſiſtit, neque adeo diu in corpore commoratur. Vſum habet in morbis chronicis, qui a laxitate ſolidorum et aquoſa humorum colluuie et viſcido pituitoſo proueniunt, et vbi circulus humorum hanc ob cauſam languet, et ob torporem ſtagnantes humores putreſcentem indolem concipiunt. Conducit inprimis, ſi viſcidum pituitoſum mobile iam eſt et humores aquoſi in motum ciendi ſunt. Laudabile etiam cenſetur, ſi iniectiones et collutiones oris antiputridae neceſſariae ſunt. *Infuſum vinoſum* multo calidius eſt, efficacius operatur et diuturniores longe moras

*) *Saluia* (officinalis) LINN. Spec. p. 34. BLACKWELL. 71.

moras in corpore nectit, et eadem fere praeſtat; praecipue autem ad exſiccantem, commouentem et calefacientem virtutem attendendum eſt. Prodeſt, ſi humores, ob aquoſam tantum indolem languidi, in motum ducendi ſunt; ſi tamen debilia ſolida ſtimulum, ob rupturae metum, ferre nequeunt, ab eo abſtinebis. *Infuſum ſpirituoſum* ſeu *Eſſentia* praecedente calidior eſt, magis ſtimulat, copioſiores partes aquoſas diſſipat, magis exſiccat et humorum motum intenſiorem efficit. Valet tantum in morbis chronicis, in quibus ſolida laxa, aquoſi humores ſuperflui, obſtructio nulla et circulus humorum languidus eſt. *Aqua deſtillata* fibram muſcularem modice ſtimulat, humores aliquantum mouet et in neruos inprimis agit: vtilis cenſetur, ſi torpor fluidi neruei a nimia aquoſitate dependet atque ſubputridi quid ſimul corpori ineſt. *Infuſum acetoſum* fibram muſcularem ſtimulat, humores abſque exaeſtuatione mouet, putridos corrigit, viſcidum morboſum tenax et putridum reſoluit fluidique neruei motum intendit et a putrida materie irregularem factum regularem reddit. In morbis putridis vſum habet, inprimis ſi neruina et diaphoretica antiputrida neceſſaria ſunt. Valet etiam ad vlcera putrida et ſphacelo affecta. *Oleum aethereum* ad remedia maxime calida, valde ſtimulantia et antiputrida pertinet. Iuuat inprimis, ſi ob aquoſam humorum indolem et laxa ſolida putredo lenta ſenſim inducitur; prodeſt etiam in morbis, vbi ob meram tantum humorum aquoſitatem, nulla obſtructione praeſente, circulus languet et ſolida valido ſtimulo, diu inhaerente et operante, opus habent.

§. 97.

ROSMARINVS *); gall. *Romarin;* germ. *Roſmarin.* Odorem de ſe ſpargit balſamicum; ſaporem habet acrem, amaricantem, balſamicum. Partes continet gummoſo-mucilagineas, reſinoſas et oleoſas aethereas cum terreis coniunctas. In oleoſis inprimis ſubſtantiae actiuae omnes haerent, in reſinoſis tamen et acris, amaricans praecipue eſt, quae etiam aliqua ex parte gummoſo-mucilagineis inſunt. Parantur ex foliis huius plantae 1) *Infuſum aquoſum;* 2) *Infuſum vinoſum;* 3) *Infuſum acetoſum;* 4) *Oleum aethereum;* 5) *Aqua deſtillata.* Omnia haec, praeter infuſum acetoſum, vim emmenagogam habent, omnibuſque vis ſtimulans haud leuis, diu in corpore moras nectens, commouens, exſiccans et calida ineſt. *Oleum aethereum* inprimis efficax valde cenſendum eſt et valde calidum, longaſque moras in corpore nectit et vtile cenſetur, ſi ſolida inſigniter relaxata, minime tamen ad rupturam procliuia, et abundans pituita aquoſa tardiorem circulum humorum omnium reddidit et obſtructionem menſium produxit. Mitius agit *Infuſum vinoſum* et eadem fere praeſtat, requirit tamen aquoſam potius colluuiem quam pituitam abundantem. Multo adhuc lenius remedium, calidum tamen, eſt *Infuſum aquoſum,* quod ſolida quidem laxa et ſanguinem pituitoſum requirit, ſed eo ſtatim in caſu propinandum eſt, vbi bina priora ob vim calefacientem et ſtimulantem inſignem propinari nequeunt. Quare iis

*) *Roſmarinus* (officinalis) LINN. Spec. p. 33. BLACKWELL. 159.

iis praeſertim conuenit corporibus, quibus ob debilem influxum fluidi neruei et deficientem potius partem oleoſam ſanguinis, quam ob accumulatam aquam et pituitam menſes non rite fluunt. Vtile tamen etiam eſt, ſi menſtruus fluxus ob inſignem laxitatem et pituitoſam humorum indolem plane deeſt. *Aqua deſtillata* non niſi in debilibus, et vbi ſolus tantum defectus fluidi neruei eſt, menſes promouet, cum oleo deſtillato autem propinata in pituitoſis laxiſque corporibus menſtrua prouocat.

§. 98.

MATRICARIA *); gall. *Matricaire;* germ. *Mutterkraut.* Odor eius eſt balſamicus, ſapor amaricans, acriuſculus et oleoſo-balſamicus. Partes conſtitutiuae ſunt terreae complures, mucilagineo-unguinoſae, reſinoſae et oleoſae aethereae. In mucilagineo vnguinoſis ſubſtantia amaricans, in reſinoſis eadem haec et acris, inque oleoſis acris et balſamica latet. Praeparantur inprimis ex ſummitatibus huius herbae 1) *Infuſum aquoſum;* 2) *Infuſum vinoſum;* 3) *Extractum.* Binis prioribus vis emmenagoga ineſt. *Infuſum aquoſum* lenem ſtimulum fibrae muſculari applicat, fluidi neruei quidem motum promouet ſed neutiquam intendit, humores reliquos in motum, non vehementem quidem ſed naturali maiorem perque notabile tempus durantem, ciet, putridum euolutum corrigit, partes aquoſas aliquantum diſſipat, ideoque corpus exſiccat. Prodeſt,

 vbi

*) *Matricaria* (parthenium) LINN. Spec. p. 1255. BLACKWELL 192.

vbi ob pituitoſo-aquoſam humorem indolem laxitas ſolidorum producta, irritabilitas imminuta et torpor humorum ſubortus eſt. Menſes prouocat, ſi torpor non adeo inſignis et leui tantum ſtimulo opus eſt, ſi tamen fortior requiritur et oleoſa humorum pars magis excitanda eſt, *Infuſum vinoſum* praeſtat. Id enim aquoſo calidius eſt, magis ſtimulat, mouet et exſiccat. *Extractum* vim emmenagogam per ſe non habet.

§. 99.

MENTHA CRISPA *); gall. *Menthe crepue;* germ. *Krauſemünze.* Odor huius plantae fortis ſpirituoſo-balſamicus eſt, ſapor acriuſculus, amaricans, aliquantum nauſeoſus. Partes fouet oleoſas aethereas, reſinoſas et mucilagineas cum terreis coniunctas. Parantur ex foliis eiuſdem 1) *Infuſum aquoſum;* 2) *Infuſum vinoſum;* 3) *Aqua deſtillata;* 4) *Oleum aethereum;* 5) *Extractum.* Omnia, praeter extractum, emmenagogam vim exercent. Viuide fibram muſcularem ſtimulant, fluidi neruei et humorum motum promouent, aquoſas partes minuunt, paulo exſiccant et ad calida pertinent. *Oleum aethereum* ſtimulum, diu fibrae muſculari inhaerentem, applicat, circulum humorum quorumcunque valide promouet, oleoſam eorum partem expandit et efficaciorem multo reddit, aquoſas partes multum imminuendo corpus ſiccat, ideoque ad valde calida remedia pertinet. Prodeſt tantum laxis pituitoſis, aquoſis, torpidiſue corporibus et eadem fere, quae oleum Roriſmarini

*) *Mentha* (criſpa) LINN. Spec. p. 705. BLACKWELL. 290.

riſmarini praeſtat, magis tamen ſpirituoſum eſt, citius per corpus tranſit et humores mobiliores requirit. *Infuſum vinoſum* iiſdem corporibus prodeſt, ita tamen, vt minor copia pituitae, plurima autem aquae humoribus inhaereat. *Infuſum aquoſum* iis inprimis conducit, in quibus, ob deficientem partem oleoſam ſanguinis, fluidi neruei motus torpet, ſimulque ſanguinis motus languet et hanc ob cauſam menſtrua non rite ſuccedunt. *Aqua deſtillata* maiorem paulo vim habet, citius tamen per corpus tranſit neruoſque magis mouet, et inprimis emmenagogam vim obtinet, ſi cum infuſo ſimul ingeritur, aut cum oleo deſtillato vſurpatur. Caue tamen, ne iis corporibus menthae praeparata exhibeas, quae ſanguinem attenuatum, facile mouendum et ſolida debilia, ad rupturam apta, habent.

§. 100.

MELISSA CITRATA *); gall. *Meliſſe;* germ. *Meliſſe.* Odorem haecce planta ſpirat gratum reficientem, ſpirituoſum quaſi, citri odori fere ſimilem; ſaporem habet acriuſculum, amaricantem, minus gratum. Partes in ea deteguntur mucilagineo-gummoſae, reſinoſae et oleoſae aethereae cum terreis coniunctae. Parantur ex ea 1) *Infuſum aquoſum;* 2) *Infuſum vinoſum;* 3) *Aqua deſtillata;* 4) *Oleum aethereum.* Ad emmenagoga pertinent infuſum vinoſum et oleum aethereum. Prius fibram muſcularem modice ſtimulat, motum fluidi neruei et reliquorum humorum accelerat,

*) *Meliſſa* (officinalis) LINN. Spec. p. 827. BLACKWELL. 27.

aquoſas partes modice diſſipat, oleoſam partem aliquantum expandit, ideoque calidum et exſiccans, lene tamen, cenſendum eſt. Vtilitatem inprimis praeſtat, ſi ob debilem influxum fluidi neruei ſanguis propter inhaerentem pituitam aquoſam, non copioſam tamen, minus condenſatus tarde circumfluit et menſtrua non rite fluunt. Vix autem iuuat, ſi ea plane deficiunt. Maiorem vim habet *Oleum aethereum;* fortem neque cito tranſeuntem ſtimulum applicat, fluidum nerueum aeque ac reliquos humores fortius mouet, aquoſas partes minuit, oleoſas valde expandit et multo calidius magiſque exſiccans ſiſtit remedium. Vtile cenſetur, ſi ſanguis partibus aquoſis et pituitoſis abundat, fibra muſcularis forti ſtimulo opus habet, et circulus humorum intendendus eſt. Hinc corporibus laxis, pituitoſis et oedematoſis, ſi menſtrua plane deficiunt, laudabile praebet remedium. Si guttas aliquot, cum ſaccharo tritas, cum aqua meliſſae commiſcueris, tuncque tria vel quatuor cochlearia cum ptiſana leniter reſoluente per aliquot dies exhibueris, laudatum effectum ſaepe experieris.

§. 101.

PVLEGIVM *); gall. *Puliot;* germ. *Poley.* Odorem habet ſpirituoſo-balſamicum, ſaporem leniter amaricantem, acriuſculum, itidem ſpirituoſo-balſamicum. Partes, quae receptacula ſiſtunt, ſunt mucilagineae, reſinoſae et oleoſae aethereae cum terreis coniunctae. In oleoſis

*) *Mentha* (Pulegium) LINN. Spec. p. 807. BLACKWELL. 192.

oleoſis ſubſtantia acris, ſpirituoſo-balſamica, in reſinoſis vero amaricans inprimis recluditur. 1) *Aqua deſtillata;* 2) *Infuſum aquoſum;* 3) *Infuſum vinoſum* praecipua ſunt praeparata. Infuſa aquoſa et vinoſa vim emmenagogam habent. *Aquoſum* fibram muſcularem ſtimulat, fluidum nerueum reliquosue humores cito ſatis mouet, maſſam humorum aliquantum rarefacit, partes aquoſas minuit ideoque exſiccat et calidum eſt. Iuuat, vbi humores aquoſi et pituitoſum viſcidum iam mobile impediunt, quo minus humores moueantur; prodeſt inprimis, ſi irritabilitas non adeo imminuta eſt et humores facile in motum cieri poſſunt. Efficacius multoque calidius eſt *Infuſum vinoſum*, oleoſam partem humorum attenuat et mouet, aquoſas partes valde diſſipat ideoque exſiccat. Vſum habet, ſi irritabilitas et humorum motus ob abundantes humores aquoſos imminuitur et remediis calidis, expandentibus, opus eſt. Iuvat igitur laxa, ſuccis aquoſis plena, non aeque macilenta et gracilia.

§. 102.

ABROTANVM MAS *); gall. *Auronne le Male;* germ. *Stabwurz; Ebreis.* Odore placet grato, citrino, ſpirituoſo quaſi; ſaporem habet amarum, acriuſculum. Partes conſtitutiuae ſunt gummoſo-mucilagineae, paucae reſinoſae et oleoſae aethereae 1) *Succus expreſſus;* 2) *Infuſum aquoſum;* 3) *Infuſum vinoſum* praecipua ſunt praeparata. In *ſucco expreſſo* partes actiuae omnes con-

*) *Artemiſia* (campeſtris) LINN. Spec. p. 166. BLACKWELL. 555.

centratae continentur; viuide iſte fibram muſcularem afficit, fluidum nerueum aeque ac reliquos humores mouet et expandit, viſcidum pituitoſum, non adeo tenax, reſoluit. Hinc prodeſt, vbi laxitas et pituitoſa humorum indoles menſium obſtructioni occaſionem praebuerunt. Abſit tamen nimia viſciditas nimiaque eiuſdem tenacitas; abſit etiam nimia ſolidorum debilitas. Lenius agit *Infuſum aquoſum* et prodeſt, vbi nulla viſciditas deprehenditur et leni tantum ſtimulo opus eſt. Calidius multo eſt *Infuſum vinoſum,* praecedentibus diuturniores in corpore nectit moras, et frigidis inprimis corporibus nec non iis, quae fortem ſtimulum ferunt, prodeſt.

§. 103.

CROCVS; gall. *Safran;* germ. *Saffran.* Stamina ſiſtit plantae, quae *Crocus* *) dicitur. Odorem habet fortem, balſamicum, caput quodammodo grauantem. Sapor acris eſt, amaricans, balſamicus. Ex partibus conſtat terreis, gummoſo-reſinoſis et oleoſis aethereis. In his praecipua vis eſt; gummoſo-reſinoſae vero acrem et amaricantem ſubſtantiam fouent. Parantur ex croco 1) *Infuſum aquoſum;* 2) *Infuſum vinoſum;* 3) *Infuſum ſpirituoſum;* 4) *Oleum aethereum.* Cunctis his emmenagoga vis ineſt. Fibram enim muſcularem valide ſtimulant, humores et oleoſam eorum partem inſigniter expandunt, motum ſanguinis vehementer intendunt, fluidumque nerueum citiſſime mouent. Gradu tamen differunt; mitiſſimum eſt *Infuſum aquoſum,* efficacius

*) *Crocus* (ſatiuus) LINN. Spec. p. 50. BLACKWELL. 144.

cacius operatur *vinoſum*, tum *ſpirituoſum*, efficaciſſimum vero eſt *oleum aethereum*. Valent tantum, vbi menſes ob ſolam humorum aquoſitatem et ſolida flaccida, viſcido pituitoſo maximam partem deſtructo et ad minimum mobile facto, nullaque obſtructione praeſente non rite fluunt aut plane ceſſant. Caute tamen exhibeas corporibus teneris, irritabilibus valde et ſenſibilibus; caue etiam, ne iis propines, vbi humores ad inſignem reſolutionem procliues et ſolida ad rupturam prona ſunt.

§. 104.

ALOE §. 63. emmenagogam quoque vim habet, ſi vel in pilulis cum aliis ſubſtantiis calefacientibus coniuncta vel liquoribus ſalino-ſpirituoſis ſoluta vſurpatur. Vtilis cenſetur ſi forti ſtimulo opus eſt neque oleoſa humorum pars tam cito in motum cietur. Praeſtat etiam, ſi viſcidum pituitoſum vel iners vel etiam acidum vaſis aliquantum impactum eſt. Macilentis tamen et vbi menſium fluxus ob ſolam debilitatem neruoſam deeſt, nocet.

§. 105.

Praeter remedia, a nobis recenſita, ab aliis alia haud raro pro ſcopo, menſes prouocandi, commendantur medicamina, quae quidem cuncta reiicienda plane non ſunt, ita autem comparata, vt, cum recenſitis emmenagogis vix praeſtantiora reperiantur, his ipſis a nobis vix adnumerentur. Sic *Myrrha* et *Gummi Sagapenum*, ab aliis laudata, nimis pro hoc ſcopo actiua ſunt et melius inter medicamenta reſoluentia calida collocantur, neque

iunio-

iunioribus medicis vt emmenagoga commendanda. *Herba Origani cretici, Polii montani, Serpilli, Thymi* cum Pulegio vel Abrotano vel Meliſſa multum conueniunt. *Artemiſia* effectu emmenagogo ſaepe deſtituitur, non reiicienda tamen. Alia reſoluentia potentiſſima ſunt, nec ſanguinem attenuatum ad vterum deriuant, vt *Radix Pimpinellae* et *Armoraciae.* Alia calida ſunt et ſanguinem quidem mouent et orgaſmum humorum ſaepe concitant neque tamen menſes bene prouocant; pertinent ad haec *Radix Angelicae, Carlinae, Imperatoriae, Leviſtici, Fructus aurantiorum immaturi.* Alia, vt *Radix Valerianae, Gummi galbanum, Aſa foetida, Balſamum de Copaiua, Summitates Tanaceti* ad vterum quidem deferuntur, ſed aliam potius vim, antiputridam, antiſpaſmodicam, vulnerariam exercent. *Ariſtolochiae rotundae verae radix* famam quidem habet, ſed reſoluendo agit. *Herba Gratiolae* et *Sabinae folia* ſuſpecta ſunt.

Alia plura pro minus vſitatis habebis.

PARS II.

Alterantia.

§. 106.

Alterantia medicamenta nominamus, quae et ipſam materiem morbificam mutant eiuſque efficaciam abſque ſenſibili euacuatione infringunt et vires corporis ad ſuperandam materiae morbificae vim excitant, augent, conſeruant, et laeſas functiones ita reſtituunt, vt cauſis, morbos producentibus, reſiſtant easdemque infirment et ſubigant. Triplex in genere horum medicamentorum erit notio: in aliis enim vis, qua in fibram muſcularem inprimis agunt, conſpicua eſt; in aliis vis in humoribus praecipue ſe manifeſtat; alia demum ob vim, qua neruos praeſertim afficiunt, ſe diſtinguunt.

SECTIO I.

Medicamenta, quae in fibram muſcularem agunt.

§. 107.

Remedia, quae in fibram muſcularem agunt, gluten eius nectens vario modo afficiunt, idque vel ad ſeparationem diſponunt, neque iſtud raro ſeparant, vel tenacitatem eiuſdem minuunt et quaſi emolliunt, vel idem exſiccant, vel tenacitatem eiuſdem conſeruant, augent et particulas, fibram conſtituentes, conglutinant. Itaque 1) de *Irritantibus;* 2) de *Emollientibus;* 3) de *Exſic-*

Exſiccantibus; 4) de *Conglutinantibus* agendum eſt. Notamus autem, cuncta haec remedia non ſolum in fibram muſcularem agere, ſed etiam vim ſuam et efficaciam, ſaepe non exiguam, in neruos et humores exercere, licet praecipuus effectus in fibra tantum muſculari conſpicuus ſit.

CAPVT I.

Irritantia.

§. 108.

Irritantia vocamus, quae licet ſenſu ſatis acri, in neruis excitato, ſeſe manifeſtent, fibram tamen muſcularem inprimis afficiunt, inque eius glutine talem mutationem producunt, vt particulis eiuſdem mobilibus, in vehementem motum ductis, fibra muſcularis ad contractionem continuam ſtimuletur et niſi irritantes ſubſtantiae remoueantur, nexus demum eiuſdem tollatur. Hinc prouida natura fibris muſcularibus nerueas fibras vigiles adiunxit, quae, ſubſtantias irritantes dum ſentiunt, fibram muſcularem ita ſollicitant, vt eius non ſolum ope ſed et affluxu humorum excitato particulae irritantes non ſolum infirmiores euadant ſed et perſaepe victae repellantur.

§. 109.

Irritantia ex particulis maxime ſubtilibus valdeque actiuis conſtant, quae vel inertibus nonnullis implicantur, ſtatim tamen applicatae agunt et actionem, diu interdum durantem, exercent, vel nullis partibus inertibus implicitae inque veloci motu conſtitutae citiſſime agunt

et

et breui actionem abſoluunt. In vtriſque mixtio a mixtione partium corporis humani valde diuerſa eſt, et partes, ſolida aeque ac fluida corporis humani conſtituentes ab iiſdem citiſſime mouentur, ita, vt, diutius paulo applicatis iſtis remediis et actione eorum per tempus aliquot durante, nexus partium imminuatur, vel, partibus mobiliſſimis in motum ductis et diſſipatis, plane tollatur. Ad haec inter alia, quae in praxi clinica vſurpantur, praecipue pertinent 1) *Radix Armoraciae;* 2) *Semen Sinapi;* 3) *Cantharides;* 4) *Spiritus ſalis ammoniaci cum calce viua paratus;* 5) *Aqua phagedaenica;* 6) *Mercurius praecipitatus ruber;* 7) *Lapis infernalis.*

§. 110.

RADIX ARMORACIAE *); gall. *Racine de grand Raifort;* germ. *Meerrettig.* Radix recens, ſubtiliſſime raſa, odorem habet maxime penetrantem, nares ſingulari ſtimulo et valde acuto ferientem, ſaporem vero admodum acrem, igneum quaſi, primo dulceſcentem, poſtea amaricantem. Partes fouet mucilagineas, valde attenuatas cum pluribus aquoſis et terreis coniunctas, in quibus actiuae illae ſubſtantiae acres et dulces et amaricantes latent. Externe vſurpatur radix recens raſa, interne vero ſuccus eiuſdem expreſſus. Fibram muſcularem fortiſſimo ſtimulo irritat, neruos inſigniter afficit, humorum denſitatem valde imminuit, partes eorum ſalino-oleoſas maxime expandit, motum humorum intendit,

*) *Cochlearia* (armoracia) LINN. Spec. 901. BLACKWELL. 415.

tendit, viſcidum morboſum valde attenuat et reſoluit et reſolutum itidemque partes ſalino-oleoſas nec non aquoſas partim per vaſcula cutanea partim per vias vrinarias educit. Vſum habet in morbis chronicis, vbi ſolida ob inſignem copiam viſcidi pituitoſi et ob abundantes aqueas particulas maxime relaxata ſunt fortemque ſtimulum ferunt, et oleoſa humorum pars viſcidis aquoſisue particulis vndique circumfuſa quieſcit, et hanc ob cauſam tum in neruis tum etiam in reliquis vaſis, craſſiores humores continentibus, inſignis torpor deprehenditur. Iuuat etiam in morbis ſcorbuticis, vbi viſcidum pituitoſum cum acrimonia muriatica vel etiam acida coniunctum eſt. Caute tamen exhibeas vel intermittas plane, ſi acrimonia abſque viſcido et inſignis humorum reſolutio iam adeſt. Externe applicata radix, raſa inprimis, motum fluidi neruei et humorum excitat, affluxum eorum ad locum irritatum deriuat, et vtilis praecipue cenſetur, ſi circulus humorum ob materiem pituitoſam, vaſis impactam languet, et impetus humorum a partibus nobilioribus auertendus eſt. Caue tamen, ne eam ſtatim applices, ſi motus fluidorum ob plethoram et denſitatem inflammatoriam torpet, vel ob orgaſmum humorum partes ſuperiores male afficiantur.

§. III.

SEMEN SINAPI *); gall. *Semence de Moutarde;* germ. *Senfſaamen.* Sunt ſemina parua rotunda, externe flaua vel ex flauo rufeſcentia, quae contuſa odorem pene-

*) *Sinapis* (alba) LINN. Spec. p. 933. BLACKWELL. 29.

penetrantem, nares acri ſtimulo ferientem, et ſaporem valde acrem habent. Ex partibus conſtant mucilagineis, gummoſis, reſinoſis, vnguinoſis et terreis, in quibus ſubſtantia illa acris reſidet. Acriter ſatis fibram muſcularem irritant, neruos fortiter afficiunt, humores attenuant, expandunt, mouent, viſcidum morboſum reſoluunt et aqueas particulas conſumunt. Cum aceto parata ſic dictam *Muſtardam* conſtituunt, quae interne vſurpata frigidis inprimis, pituitoſis et laxis conuenit. Vtilis cenſetur in morbis, qui a nimia laxitate et pituita copioſa et aquoſa humorum colluuie dependent. Vim diureticam habet et digeſtioni haud raro opitulatur. Externe applicata ſemina contuſa cum fermento panis et aceto mixta ſic dictos *ſinapiſmos* conſtituunt, qui ſenſum excitant, motum humorum intendunt eosque ad irritatam partem alliciunt et impetum a partibus nobilioribus auertunt. Proſunt, vbi lentor humorum eſt, nerui languent, et humores abundantes in nobiliores partes redundant. Caeterum eadem obſeruanda ſunt, quae de armoracia iam dicta habes.

§. 112.

CANTHARIDES *); gall. *Cantharides*; germ. *Spaniſche Fliegen*. Sunt inſecta parua alata, quae inprimis in Hiſpania et Gallia, etiam Germania reperiuntur. Hiſpanici cantharides optimi cenſentur. Recentes odorem de ſe ſpargunt maxime ingratum, ſaporem

*) *Meloë* (veſicatorius) LINN. Syſtem. Nat. l. c. p. 419.

rem vero habent acrem. Partes continent mucilagineas, aliquas, reſinoſis ſimiles, et terreas complures, quibus actiua, maxime ſubtilis et acris ſubſtantia ineſt. In puluerem comminuti externe tantum in vſum ducendi ſunt. Fibram muſcularem inſigniter irritant, neruos acriter afficiunt, humores mouent, cutem inflammant, cuticulam a cute ſeparant inque veſiculam attollunt et humores ad irritatam partem copioſe deriuant. Subſtantia eorundem actiua haud raro reſorbetur et ad internas ſedes propellitur, tuncque interdum ſpaſmos producit et vias vrinarias ſaepe male afficit. Proſunt, vbi forti ſtimulo in externis partibus excitato neruorum humorumque motus excitandus eſt. Eadem praeſtant, quae de ſeminibus Sinapeos et armoracia diximus, ſed fortius multo agunt, ſique vſurpantur, maiori cautione opus eſt. Caute inprimis vſurpandi ſunt, ſi ſpaſmi nimii, inprimis renales, vrgent et plethora adeſt. Cum fermento panis puluis eorum mixtus et inſperſus optimum veſicatorium praebet. Eligantur etiam recentes exſiccati tuncque demum, ſi in vſum ducuntur, in puluerem redigantur. Vetuſti enim et puluis eorum diu aſſeruatus ſaepe effectu deſtituuntur.

§. 113.

SPIRITVS SALIS AMMONIACI CVM CALCE VIVA paratus eſt productum chemicum, quod ex commixtione ſalis ammoniaci, calce viua et aqua per deſtillationem obtinetur. Ad alcalia iſte ſpiritus vix pertinet, ſed fluidum ſiſtit maxime actiuum, quod particulas

ticulas fouet admodum ſubtiles, plane euolutas nullisque inertibus implicitas, ſubſtantiis ſalinis mediae indolis analogas cumque particulis cauſticis, igneis fere, coniunctas. Odor eius penetrantiſſimus eſt, nares acerrimo ſtimulo feriens, ſapor acerrimus, igneus quaſi. Inſigniter fibram muſcularem irritat, neruos acerrime afficit, humores admodum diſſoluit inque motum citiſſimum ducit. Interne vix locum habet. Externe caute vſurpatus interdum opem fert. Naribus admouetur, qui ſopore profundo quaſi ſepulti iacent, ſed magna cautione opus eſt, et non niſi in eo caſu admittendus, vbi ſolida valde laxa fortem ſtimulum ferunt, humores aquoſi et pituitoſi, mobiles tamen, ſunt, et alia remedia excitantia fruſtra propinata. Eo etiam vtuntur et cum iniiciunt, vbi calloſi ſinus vlcerum cultello attingi nequeunt, et tamen remouendi ſunt. Cauendum autem eſt, ne nerui et neruoſae partes laedantur et irreparabilia damna producantur.

§. 114.

AQVA PHAGEDAENICA etiam productum chemicum eſt et obtinetur, ſi cum aquae calcis viuae libra vna commiſcetur mercurii ſublimati corroſiui drachma vna, additis unciis duabus tribusue ſpiritus vini. Color huius aquae, ſi agitatur, aurantius eſt, odor nullus, ſapor acris, cauſticus. Partes continet valde actiuas, euolutas, et externe applicata ſolida quaeque arrodit et exſiccat. Interne locum non habet et vtilis cenſetur, vbi vlcera impura, calloſa et ichore

 plena

plena abſtergenda et exſiccanda ſunt. Si vſurpatur, neruis inprimis parcendum eſt; alias nocet.

§. 115.

MERCVRIVS PRAECIPITATVS RVBER itidem productum chemicum eſt. Obtinetur, ſi mercurius in aqua forti ſoluitur, ſolutio ad ſiccitatem vſque euaporatur et puluis albus relictus ad rubedinem vſque in igne calcinatur. Subſtantia eſt ſalino-metallica, in qua inprimis particulae acidae nitroſae maxime concentratae, mercurialibus globulis adhaerentes, deprehenduntur. Solida arrodit et conſumit, hinc nunquam interne ſed externe tantum locum habet et vtilis eſt, vbi ſubſtantiae fungoſae praeternaturales conſumendae ſunt et cauſticum requiritur, cuius actio non tam cito perit et partes ſenſim ſenſimque conſumendae ſunt. Vſurpatur vel per ſe vel etiam optimo cum ſucceſſu cum pinguibus mixtus.

§. 116.

LAPIS INFERNALIS ſubſtantiam ſiſtit, duram, fuſcam ſeu ex fuſco-rufeſcentem, chemica arte productam. Soluitur nimirum argentum puriſſimum in ſpiritu nitri, ſolutio ad ſiccitatem vſque inſpiſſatur, puluis albus relictus maiori igne funditur et tamdiu in eo detinetur, donec omnis ſpumeſcentia ceſſet et maſſa fluida aſcendere vltro deſinat, atque vt oleum fluat, quo viſo in cylindrum metallicum effunditur et demum probe ſeruatur. Caue tamen, ne ad praeparandum huncce lapidem argentum, cupro diues, recipiatur. Vſus eiusdem

eiusdem externus eſt. Ad praeſtantiſſima cauſtica pertinet. Eſt ſubſtantia ſalino-metallica, in qua particulae acidae concentratiſſimae et ſubtiles actiuae cum argenti moleculis coniunctae ſunt. Applicatus lapis infernalis rodit et partes, quas tangit, conſumit, inque vſum ducitur, vbi cauſticum, ſtatim agens, neceſſarium indicatur.

§. 117.

Alia irritantia vel etiam cauſtica, quae a nonnullis vſurpantur, ſunt 1) *Urtica vrens*; 2) *Ranunculus ſylueſtris*; 3) *Hydropiper* ſeu *Perſicaria*; 4) *Succus Eſulae* ſeu *Tithymali*; 5) *Euphorbium*; 6) *Radix Ari recens*; 7) *Butyrum antimonii*; 8) *Lapis cauſticus chirurgorum*; 9) *Acida mineralia concentrata* aliaque. Cum vero ea raro ſingulare quid praeſtent, ſaepeque incommoda varia, certe non exigua pariant, eorumque nonnulla circumſpecte applicanda ſint, lubenter ea praeterimus. Notamus tamen, *Vrticam vrentem* *) non contemnendam eſſe. Hac enim planta partes caeſae adeo ſaepe irritantur, vt affluxus humorum ad partem hanc deriuetur et ſenſus mobilitasque membrorum imminuta, immo ſere deleta, vt in paralyſi obſeruatur, reſtituantur. Iuuat etiam, vbi ſalutaris in corpore excitanda eſt perturbatio, vti id in furore vterino ſimilibusque morbis deprehendimus.

*) *Urtica* (dioica) LINN. Spec. p. 1396. [BLACKW. 12.

CAPVT II.

Emollientia.

§. 118.

Emollientium remediorum nomine inſigniuntur eae ſubſtantiae, quae vix aliquem ſenſum in neruis excitant, et glutinis inprimis, partes connectentis, tenacitatem minuunt, idque laxius quaſi reddunt, ita, vt nexus minus firmus ſit et ſolidorum elaſticitas minuatur et fluidorum denſitas eo magis decreſcat, quo minus fluida cernuntur tenuia. Praecipuus horum remediorum effectus in ſolidis conſpicuus eſt, eaque iſtis vſurpatis molliora fiunt, quare emollientis remedii nomen ortum fuit, licet non negandum ſit, eadem iſta remedia et in fluida agere eorumque cohaeſionem minuere et hanc ob cauſam alio nomine inſigniri poſſe.

§. 119.

Partes horum remediorum conſtitutiuae non adeo actiuae ſunt, ſed complures inertes cum paucioribus actiuis, ſenſim in corpore ſe euoluentibus, coniunctae. Agunt dicta remedia inprimis in partes corporis aquoſas terreasue, hasque augendo ſalinarum aquoſarumue partium nexum minuunt; vel etiam in oleoſas partes agunt et harum illarumue actiuitatem minus efficacem reddunt et interdum fere tollunt. Cum autem iſta remedia ſolidam fibram non ſolum relaxent ſed etiam morboſam inprimis eo diſponant, vt cohaeſio plane tollatur, fibraeque diſrumpantur, emollientia etiam quaſcunque ſuppurantium nomine inſigniri poſſe, colligimus.

ligimus. Praecipua horum remediorum ſunt 1) *Balnea tepida*; 2) *Lac*; 3) *Spinacia*; 4) *Flores Chamomillae*; 5) *Melilotus*; 6) *Folia Maluae*; 7) *Radix Althaeae*; 8) *Farinae ſeminum cerealium*; 9) *Cepa aſſata*; 10) *Pomum coctum*; 11) *Caricae pingues*; 12) *Mel*; 13) *Cera flaua*; 14) *Vitellus ouorum*; 15) *Olea expreſſa*; 16) *Seuum ceruinum*; 17) *Emplaſtrum diachylon ſimplex*; 18) *Emplaſtrum diachylon compoſitum*; 19) *Emplaſtrum Filii Zachariae*; 20) *Emplaſtrum de Meliloto*; 21) *Balſamum Arcaei*.

§. 120.

BALNEA TEPIDA ſimplicia ex mera tantum aqua tepida conſtant. Haec, tepida nimirum, partes magis diuiſas inque minori aggregatione, maiori vero in motu conſtitutas, quam frigida aut egelida, inſimulque partes ex igne aduenientes §. 69. fouet. Profundius et minora multo interſtitia oſculaque penetrat, quam frigida, diutius in partibus commoratur quam calida, hinc gluten laxius et fluidius reddit hancque ob cauſam partes ſolidas relaxat et emollit. Interne et externe vſurpari poteſt et ſaepe multa praeſtat, eiusque ope plurima ſic dicta emollientia actiua euadunt.

§. 121.

LAC ANIMALIVM; gall. *Lait*; germ. *Milch*. Eſt liquor albus, ex vberibus emulctus, qui odorem dulceſcentem et aliquantum nauſeoſum, et ſaporem oleoſo dulcem habet. Ex plurimis partibus aquoſis conſtat, quibuscum plures terreae, acido pingues, oleo-

 ſae

ſae et gelatinoſo-mucilagineae coniunctae ſunt. Interne et externe vſurpatum leniter emollit, modice laxat, partes humectat, actionem breui abſoluit, facile tamen ab acido ventriculi mutatur, tuncque vim emollientem fere amittit et coagula efficit.

§. 122.

SPINACIA *); gall. *Epinar*; germ. *Spinat*. Planta inodora eſt et ſaporem duntaxat mucilagineum habet. Conſtat ex partibus mucilagineis tenerioribus, cum terreis coniunctis. Vſus inprimis culinaris eſt; coquitur ea cum iuſculis carnoſis vel cum lacte ſicque in ſubſtantia ingeritur. Egregie humectat partes, viſcidos humores attenuat, ſolida laxat nec raro aluum aperit. Vtilitatem praecipue praeſtat tempore vernali, tunc ad tollendum lentorem humorum, per hyemem, ob intermiſſum corporis motum, obortum, quidquam confert.

§. 123.

FLORES CHAMOMILLAE VVLGARIS **); gall. *Camomille de Champs*; germ. *Chamillen*, et CHAMOMILLAE ROMANAE FLORES ***); gall. *Camomille Romaine*; germ. *Roemiſche Camillen*. Odor vtriusque plantae oleoſo-balſamicus eſt; ſapor amaricans

*) *Spinachia* (oleracea) LINN. Spec. p. 1456. BLACKWELL. 49.

**) *Matricaria* (chamomilla) LINN. Spec. 1256. BLACKWELL. 298.

***) *Matricaria* (ſuaueolens) LINN. Spec. 1256. WEINMANN Phytanthozaiconographia. Ratisb. 1734. n. 363. c. d.

ricans, acriuſculus, itidem oleoſo-balſamicus. Ex partibus conſtat oleoſis aethereis, reſinoſis et vnguinoſo-mucilagineis, terreis implicitis. In oleoſis aethereis praeſertim et reſinoſis vis praecipua eſt, unguinoſo-mucilagineae tamen non inertes cenſendae ſunt. Vſurpantur ſummitates ſeu Flores Chamomillae et ex his *Infuſum aquoſum* vel *cum cereuiſia factum*, porro Aqua deſtillata, *Oleum aethereum* et *Oleum coctum* parantur. Externe adhibetur *Puluis* ex ſummitatibus paratus hicque inprimis vim emollientem habet. Applicatur vel ſiccus, ſacculis incluſus, vel cum aqua aut lacte coctus, tuncque vel in decocto vel in forma cataplaſmatis vſurpatur. *Decoctum* partes emollit, dolores aliquantum minuit, abſtergit et putridum eluit, hinc ad vlcera impura depuranda et ad clyſmata emollientia antiſpaſmodica et antiputrida ſaepe cum fructu adhibetur. Cum oleoſae partes aethereae et reſinoſae, balſamicam inprimis ſubſtantiam et amaricantem continentes, cum unguinoſo-mucilagineis arcte cohaereant, et ob hocce connubium partibus externis applicatae per longum ſatis tempus agant, *Cataplaſma*, ex floribus chamomillae paratum, praeſtantiſſimum cenſetur. Emollit iſtud egregie, ſolida laxat, tumores in iisdem natos vel diſſipat vel ſaepe ad ſuppurationem laudabilem diſponit et dolores inſimul minuit. *Oleum coctum* clyſmata emollientia et antiſpaſmodica ingreditur. Reliqua praeparata ob vim balſamicam et calefacientem inprimis conſpicua infra conſiderabimus.

§. 124.

SVMMITATES MELILOTI *); gall. *Melilot;* germ. *Steinklee; Meloten.* Odor huius plantae fortis eſt, balſamicus, caput quodammodo grauans, ſapor amarus, itidem balſamicus, aliquantum nauſeoſus. Partes habet maximam partem mucilagineas, quibuſcum gummoſo-reſinoſae et oleoſae ſubtiliores arctae implicitae ſunt et vim praecipuam exercent: priores tamen receptacula ſiſtunt, quibus actiuae non tam cito diſſipantur, ſed applicatae diutius actionem exercent. Vſurpatur inprimis *Puluis Florum* ſeu *Summitatum,* qui vel ſiccus applicatur vel in forma cataplaſmatis partibus imponitur. Puluis ſiccus leniter emollit et humores ſtagnantes ſenſim eo diſponit, vt attenuati reſorbeantur. Hinc ſaepe tumores partium diſcutit. Cataplaſma multo magis emollit, attenuat et diſcutit nec raro dolores ſedat. Ex ſummitatibus per deſtillationem aqua parari poterit, certe non ſpernenda.

§. 125.

FOLIA MALVAE VVLGARIS **); gall. *Mauve;* germ. *Haſenpappeln.* Inodora eſt planta et folia eiusdem ſaporem mere mucilagineum habent. Partes mucilagineas ſubtiliſſimas, fere gelatinoſas, fouet, terreis implicitas. *Puluis* eorum, cum aqua ad conſiſtentiam cataplaſmatis coctus, pro vſu externo, *Decoctum* vero foliorum

*) *Trifolium* (melilotus officinalis) LINN. Spec. p. 1078. BLACKWELL. 80.

**) *Malua* (Syluestris) LINN. Spec. 969. BLACKWELL. 22.

liorum pro vſu interno inprimis commendatur, et vſum praecipue habet, ſi ad interſtitia ſubtiliſſima penetrare debent emollientes particulae.

§. 126.

ALTHAEAE RADIX *); gall. *Racine de Guimauve;* germ. *Eibiſchwurzel.* Radix haec digitum et vltra craſſa, alba, inodora et ſaporis mucilagineo-ſubdulcis eſt. Partes fouet mucilagineas valde attenuatas cum terreis coniunctas, in quibus dulcis quaedam ſubſtantia parua in copia haeret. *Decocta radix* mucilaginem praebet maxime attenuatam, quae cum multa aqua coniuncta egregium emolliens pro vſu interno dat, magis autem minusue inſpiſſatum decoctum externo vſui inſeruit. Drachma vna radicis ad libram vnam aquae pro decocto, interne vſurpando, ſufficit, ſi maior copia recipitur, decoctum ſpiſſius fit.

§. 127.

FARINAE CEREALIVM ex ſeminibus Secalis, Hordei, Tritici et Auenae inprimis, inferius deſcribendis, obtinentur. Conſtant farinae ex partibus terreis cum mucilagineis et gelatinoſis coniunctis, in quibus ſubſtantia quaedam dulceſcens profunde recondita latet. Cum aqua commixtae effectum emollientem exercent, earumque ope aqua diutius partibus applicatur eoque diſponitur, vt diuturniores in corpore moras nectat; inde inſignis effectus emolliens expectari poterit. Externe ſi vſurpantur, formam ſolidam et etiam fluidam, interne vero fluidam habeant, neceſſe eſt.

§. 128.

*) *Althaea* (officinalis) LINN. Spec. p. 966. BLACWELL. 90.

§. 128.

CEPAE RADIX *); gall. *Oignon;* germ. *Zwiebel.* Radix haec bulboſa eſt, ex multis ſquamis ſibi invicem impoſitis conſtans. Odor eius fortis, oleoſo-ſpirituoſus et nauſeoſus eſt, ſapor quodammodo acris et nauſeoſus. Plures fouet partes aquoſas et mucilagineas attenuatas, in quibus ſubſtantia maxime actiua acris et nauſeoſa haeret. *Succus expreſſus* et *Infuſum* et *Decoctum,* vel cum aqua vel cum lacte paratum, interne inprimis vſurpantur; *contuſa* vero vel *aſſata* externe partibus applicatur. Hae emollientem inprimis vim exercent et ad ſuppurationem diſponunt vel eam promouent et egregie operantur. Actiuis enim particulis non deſtituuntur.

§. 129.

POMA; gall. *Pome;* germ. *Apfel.* Sunt fructus arboris, quae *Malus* **) dicitur. Varia ſunt eorum genera, inter quae ea inprimis, quae *Borsdorfiana* dicuntur, apud nos in vſum medicum cedunt. Pugnum interdum magnitudine aequant, odorem habent lenem, gratum, vinoſum, ſaporem dulcem, mucilagineum. Ex partibus mucilagineo-gelatinoſis conſtant, in quibus ſubſtantia, indolis laudabilis, continetur dulcis, attenuata. *Succus expreſſus,* interne ſumtus, humectat inteſtina, laxat eadem et viſcidum tenaciſſimum emollit, facile tamen

*) *Allium* (cepa) LINN. Spec. 433. MATTHIOL. Oper. Baſil. 1598. fol. p. 419.

**) *Pyrus* (malus) LINN. Spec. p. 418. BLACKWELL. 141.

men in laxis, pituitoſis, aquoſis aceſcit. Externe *Pomum coctum* locum habet, quod emollit, obſtructa expedit et ad ſuppurationem interdum diſponit.

§. 130.

CARICAE PINGVES; gall. *Figues ſeches;* germ. *Feigen.* Sunt fructus arboris, quae *Ficus* *) dicitur. Odorem habent dulcem, quodammodo nauſeoſum, ſaporem mellitum, oleoſo-dulcem. Ex partibus conſtant gelatinoſo-mucilagineis, in quibus ſubſtantia dulcis continetur. Interne vſurpantur in ſubſtantia vel in decocto tuncque ſolida laxant, egregie emolliunt, humectant, ſiccitatem tollunt et viſcidum morboſum minus tenax reddunt, ſaepeque aluum aperiunt. Externe vel integrae vel contuſae vel etiam leniter aſſatae ſi applicantur, emolliunt et tumores inflammatorios ad ſuppurationem diſponunt.

§. 131.

MEL; gall. *Miel;* germ. *Honig.* Eſt ſubſtantia ſpiſſiuſcula, flaueſcens, interdum alba, interdum flaua, quae ab apibus ex plantis colligitur inque cellulas, ab ipſis his animalculis ex cera paratas, deponitur. Odor eius gratus, dulcis, quodammodo balſamicus eſt, ſapor dulcis admodum, gratus. Ex partibus valde attenuatis mucilagineis componitur, in quibus ſubſtantia dulcis valde elaborata reſidet. In ſubſtantia ſumtum leni ſtimulo fibram muſcularem afficit, laxat eandem et emollit, humectat, denſitatem humorum minuit, viſcidum morboſum attenuat.

*) *Ficus* (carica) LINN. Spec. 1513. BLACKWELL. 125.

nuat, putredini aduerſatur, abſtergit et aluum ſaepe mouet, ſaepe etiam in inteſtinis fermentationem ſubit et acidum gignit, diuturnas tamen in corpore moras non nectit. Vlceribus internis medetur, interdum per vrinam educit et pulmonibus amicum eſt. Siccis et ſenibus praecipue conducit, non aeque laxis, pituitoſis, aquoſis, acidis. *Aqua mellis,* per deſtillationem parata, leniſſimam vim balſamicam habet et remediorum, putredini aduerſariorum, actionem iuuat. Externe ſi applicatur Mel, ſolida laxat, emollit et tumores inflammatorios ad ſuppurationem diſponit.

§. 132.

CERA FLAVA; gall. *Cire jaune;* germ. *Gelb Wachs.* Eſt ſubſtantia duriuſcula, flaua, ex cellulis apum igne liquata et indurata. Odorem habet gratum, oleoſo-balſamicum, ſaporem viſcidum, balſamicum. Ex partibus conſtat terreo-mucilagineis, cum oleoſis vnguinoſis coniunctis, quibus ſubſtantia balſamica ſubtiliſſima implicita eſt. Pro ſcopo emolliendi vix interne propinatur, externe etiam raro abſque aliis immixtis ſubſtantiis applicatur, tuncque emollientem vim praeſtat et efficit, vt immixtae ſubſtantiae abſque iactura virium paulo diutius agant, nec tam cito partibus actiuis orbentur. De viribus cerae internis infra dicendi erit occaſio.

§. 133.

VITELLVS OVORVM; gall. *Jaune d' Oeuf;* germ. *Eyerdotter.* Eſt ſubſtantia lutea, quae fere in medio oui continetur, mellis conſiſtentiam habet, nucem iuglandem magnitudine aequat, odoris nullius et

ſaporis

ſaporis fatui mucilaginei eſt. Ex partibus conſtat oleoſo-gelatinoſis cum terreis coniunctis. Modice laxat, ſolida aliquantum emollit et excoriatas partes defendit. Externe applicatus non ita diu operatur, cum cito exſiccetur. Interne etiam breui actionem abſoluit, cum ſtatim mutetur et ſaepe cito alcaleſcat. Vix per ſe in vſum ducitur, ſed aliis iunctus.

§. 134.

OLEA EXPRESSA VNGVINOSA ex multis ſeminibus oleoſis obtinentur. Inter haec autem *Oleum Amygdalarum dulcium* et *Oleum Lini* optima cenſentur et reliquis praeſtant. Praeter odorem et ſaporem oleoſum nullum ſenſum in lingua excitant, niſi ſaporem aliqua ex parte dulceſcentem vocare volueris. Obtinentur ex Amygdalis §. 53. et ſeminibus Lini *) per expreſſionem. Fouent partes oleoſas ſubtiles cum partibus mucilagineis et acidis coniunctas; craſſior tamen eſt mucilago in lini oleo quam amygdalarum. Interne inprimis *Oleum amygdalarum dulcium*, externe vero et ad clyſmata *Oleum Lini* valet. Applicata et ingeſta per tempus ſat longum agunt et inſigniter relaxant et emolliunt, facile tamen interne inprimis ſumta, corrumpuntur. Rancida, acria et ſapida reiiciuntur.

§. 135.

SEVVM CERVINVM; gall. *Suif de Cerf;* germ. *Hirſchinſchlitt.* Hoc inter alias ſeui ſpecies praeſtat. Prae-

*) *Linum* (vſitatiſſimum) LINN. Spec. 397. BLACKWELL. 160.

Praeparatur ex cerui adipe, qui liquatur et a membranis ſeparatur. Album eſt et conſiſtentiam duriuſculam et ſaporem et odorem oleoſum habet. Conſtat ex partibus oleoſis cum pluribus terreis arcte coniunctis. Externe tantum vſurpatur, nunquam interne. Applicatum diu partibus adhaeret et laudabilem effectum emollientem edit.

§. 136.

EMPLASTRVM DIACHYLON SIMPLEX eſt productum pharmaceuticum, molliuſculum, tenax, quod ex lithargyrio, oleo oliuarum ſoluto, cumque mucilaginibus foeni graeci, lini et radicis Althaeae mixto paratur. Externe applicatum leniter emollit et tumores duros ad ſuppurationem diſponit. Huic commode ſubſtitui poterit *Emplaſtrum* *) ex ſeuo ceruino, cera flaua et colophonio paratum: hoc enim idem praeſtare et ſaepe meliori cum ſucceſſu quam diachylon ſimplex vſurpari, experientia nos edocuit.

§. 137.

EMPLASTRVM DIACHYLON COMPOSITVM ex diachylo ſimplici, Gummi Ammoniaco, Gummi Galbano et Croco paratur. Magis quam praecedens emollit, diutius agit et tumores inflammatorios ad ſuppurationem diſponit. Suppurationem quoque inchoatam promouet et humores tenaces fluidiores reddit; nocet

*) Ad emplaſtrum hoc parandum ſeui ceruini partem vnam et cerae flauae et colophonii partes duas recepimus, quae leni igne liquata commiſcentur, ſtatimque commixta ab igne remouentur.

cet tamen, vbi humores nimis tenues ſunt et copioſus eorum adfluxus ſanationem impedit.

§. 138.

EMPLASTRVM FILII ZACHARIAE, inter noſtros adeo ſolemne, ex cera alba, ſeuo ceruino atque axungia anſeris et gallinae paratur. Emollientem tantum vim habet et ad eos tumores emolliendos vtile cenſetur, qui recentes et non adeo duri ſunt et materiem fouent, quae facta emollitione facile in motum duci et reſorberi poterit. Ad alios, duros inprimis, vel minus ſufficit, vel acrem materiem ſi fouent, noxium reputatur.

§. 139.

EMPLASTRVM DE MELILOTO ex herba et floribus Meliloti, Floribus Abſinthii et Chamomillae, Baccis Lauri, Semine Apii, Styrace, Gummi Ammoniaco, Cera citrina, Seuo hircino, Terebinthina, Reſina ſeu Pice et Oleo chamomillae paratur. Licet emplaſtrum hoc reſoluentem vim ſimul habeat, maximam tamen partem emolliendo actionem abſoluit, ita vero, vt partibus relaxatis et emollitis, ſubſtantiae iſtae actiuae reſoluentes facilius ingredi et recipi poſſint, quo facto humores ſtagnantes, ope emollientium partium iam minus tenaces facti, eo melius diſiunguntur inque motum ducuntur, ita, vt circulus humorum, in parte affecta antea imminutus, rurſus reſtituatur ſicque induratio ceſſet. Sin autem ſolidae partes vltra modum nimis diſtentae fuerint, neque, partibus glutinis emollitis et motis, in priſtinum ſtatum redigi queant, ſup-

 puratio

puratio ope dicti emplaſtri producitur vel promovetur. Vſurpatur inprimis ſi tumores, duri vel frigidi vel inflammatione ſtipati, emolliendi et reſoluendi ſunt. Si ſcirrhi adſunt, aut tumores, acribus et ichoroſis humoribus pleni, nocet.

§. 140.

BALSAMVM ARCAEI eſt ſubſtantia ſpiſſiuſcula, quae ex Terebinthina veneta, Reſina Elemi, Seuo ceruino, Oleo hyperici et Santalo rubro paratur. Vſus externus eſt et in vulneribus et vlceribus proficuum cenſetur, ſi nimirum partes emolliendae et humores ſpiſſi attenuandi inſimulque putridi corrigendi ſunt, quo ſuppuratio laudabilis ſuccedat. Caue vero, ne nimis pingue ſit balſamum, vti communi modo paratum deprehenditur: tale enim nimium relaxat, ſuppurationem diu protrahit et ſanationem ſaepe impedit. Hinc ſeui et olei quantitas imminuenda eſt, eorumque loco vitellum ouorum et ceram ſubſtituere, conuenit.

§. 141.

Dantur multo plura, a nobis non recenſita, remedia emollientia, quae quidem nihili aeſtimanda non ſunt, ſed pro praeſtantioribus non habenda. Sic ſaepe pro ſcopo emolliendi in vſum vocantur 1) *Flores* et *Radices Liliorum alborum* quae multum cum Radice Althaeae conueniunt, niſi quod mucilaginem paulo teneriorem praebeant. 2) *Flores* et *Folia Verbaſci* et 3) *Folia Tuſſilaginis* mucilaginem craſſiorem paulo quam Maluae folia continent. 4) *Herba Mercurialis* et 5) *Parie-*

Parietariae aliquam quidem portionem ſalis cuiusdam leniſſimi continent ſed ob mucilaginem valde elaboratam inprimis in vſum vocantur. 6) *Farinae Fabae communis*; 7) *Lupini*; 8) *Orobi*; et 9) *Foenu graeci* a farinis cerealium vix differunt, foenu graeco tamen reſoluentes inſunt particulae. 10) *Ceratonia*; 11) *Dactyli*; 12) *Paſſulae maiores et minores*; 13) *Sebeſten* 14) *Iuiubae* Melle et Ficubus in emolliendis partibus potentiora non ſunt. 15) *Pinguedines* et *Axungiae*, *Seua* varia nec non multa *Olea expreſſa* idem praeſtant, quod Seuum ceruinum et Oleum Amygdalarum vel Oleum Lini praeſtare ſolent. Laudant tamen pro vſu interno *Sperma Ceti*; gall. *Blanc de Baleine*; germ. *Wallrath*; quae eſt ſubſtantia ſolida, pinguis, friabilis tamen et ſquamoſa, odoris et ſaporis oleoſi, aliquantum nauſeoſi, quae ex materia, cerebro cuiusdam Balaenae, *Cachelot* *) dictae, circumfuſa, obtinetur. Vſurpatur inprimis in morbis pectoris, vbi viſcidum nimis tenax cum acri materie coniunctum, laxum quaſi, et ſolida emollienda ſunt, quo emollitione facta exſcreatio melius ſuccedat. Verum plus ſaepe nocet, quam iuuat.

CAPVT III.

Exſiccantia.

§. 142.

Exſiccantia remedia ſunt, quae, partes fluidas et inprimis aquoſas conſumendo vel diſſipando, humores

*) *Phyſeter* (macrocephalus) LINN. Syſt. Nat. p. 76. DUDLEY Philoſoph. Transact. n. 387. p. 258.

res minus fluidos et gluten nectens ita tenax reddunt, vt ſolida quidem ſicciora ſed minus elaſtica euadant et irritabilitas eorundem valde imminuatur. Differunt haecce remedia ab incraſſantibus, quod fluidarum et humectantium partium moles minuatur, a conglutinantibus antem et inprimis adſtringenibus et roborantibus, quod nexus partium minus firmus euadat et ad ſiccitatem corpus diſponatur.

§. 143.

Partes horum remediorum conſtitutiuae vel maximam partem inertes terreae ſunt, vel terreae complures, cum actiuis coniunctae, vel etiam maxime actiuae, ab inertibus prorſus liberae. Effectum iſta remedia inprimis in aquoſis humorum partibus edunt, ſaepe oleoſas ſimul aggrediuntur, hasque pariter ac illas conſumendo actionem abſoluunt. Inter haec inprimis 1) *Cineres Zinci*; 2) *Aqua calcis viuae*; 3) *Emplaſtrum de ceruſſa*; 4) *Spiritus vini*; 5) *Eſſentiae amarae* occurrunt.

§. 144.

CINERES ZINCI ex ſemimetallo, quod colorem coeruleſcentem habet et fractum ſtrias pyramidales oſtendit et *Zincum* dicitur, per combuſtionem et calcinationem obtinentur. Calx haec ex terra conſtat, quae partim volatilis in auram abit, partim vitreſcit cumque ſubſtantia inflammabili in vaſe occluſo in forma metallica tranſit. Externe vſurpatur, tuncque vim exſiccantem habet. Raro per ſe in vſum ducitur et vel cum aqua vel cum vnguentis applicatur. Vſum inprimis habet, vbi ob copioſum affluxum ſeroſi humoris partes

partes nimium laxantur et vlcera ſanationem reſpuunt et exſiccantia requiruntur, quae actionem non adeo cito abſoluunt. Hinc ſaepe collyria ingreditur et ea remedia, quae ad ambuſta commendantur.

§. 145.

AQVA CALCIS VIVAE ex aqua communi paratur, in qua calx viua exſtinguitur. Recens parata odorem quaſi terreum habet et ſaporem exſiccantem, pungentem quaſi, et ſtypticum. Diu et negligenter aſſeruata exſiccantem duntaxat ſaporem excitat. Prior terram fouet alcalinam in ſimulque ſubſtantiam cauſticam, poſterior cauſtica hac ſubſtantia maximam partem orbata eſt; hinc ob mitiorem vim illi praeferenda. Exſiccantem vim exercet et interne et externe vſurpatur. Interne vtilis cenſetur, ſi, ob ſolam aquoſitatem humorum vel etiam ob aceſcentem indolem, partes nimis laxae ſunt, tuncque vel per ſe cum cera vel cum lacte aut ſero lactis in vſum ducitur. Externe locum inuenit, ſi lympha nimis tenuis affluit et exſiccantia leniora, quae actionem breui abſoluunt, indicantur.

§. 146.

EMPLASTRVM DE CERVSSA, quod etiam ALBVM COCTVM vocatur, ex oleo oliuarum, ceruſſa et cera alba paratur. Praecipua eius vis exſiccans eſt, et vtile cenſetur, ſi in excoriatione cutis ob copioſum lymphae affluxum epidermidis regeneratio impeditur. Vſum etiam habet in vlceribus, quae itidem ob abundantiam humoris lymphatici ad cicatricem perduci nequeunt.

§. 147.

SPIRITVS ARDENS RECTIFICATVS eſt fluidum ſubtiliſſimum, nares ſubtiliſſimo ſtimulo, haud ingrato, feriens et acutum, pungentum, quaſi igneum ſtimulum cum relicta exſiccatione in lingua excitans, quod ex vegetabilibus dulcibus, aut acido-dulcibus aut mucilagineo-dulceſcentibus per fermentationem et ſubſequentem deſtillationem iteratam obtinetur. Optimus dicitur Spiritus, qui ex vino per deſtillationem obtinetur, cui tamen ille, quem ex frumento parant, ſi rite depuretur, vix poſtponendus eſt. Eiusmodi ſpiritus, aqua ſuperflua orbatus, partes maxime actiuas fouet, quae ex inflammabilibus ſubtilitatis ope ſalinae cuiusdam ſubſtantiae intime cum aqueis particulis coniunctae ſunt. Interne ſi uſurpatur, ſtimulum valde acutum fibris muſcularibus applicat, motum humorum inſigniter intendit, oleoſas partes expandit, expanſas has aliqua ex parte diſſipat, aquoſas inſigniter expellit, reliquas relictas figit et arctius connectit, fluidi neruei, valde moti copiam, dum expellit, minuit. Inde primo corpus exaeſtuat et agile reddit, actione vero abſoluta languorem in vaſis quibuscunque et ſiccitatem inſignem, et ſpiſſitudinem humorum relinquit, hosque effectus eo magis producit, quo copioſius quoue crebrius ingeſtus fuit. Vix vt remedium interne vſurpatur ſed ad praeparanda alia plerumque adhibetur. Externe vero interdum in vſum ducitur, tuncque exſiccantem et coagulantem vim habet et ob hanc partes nimium relaxatas conſtringit. Vtilis inprimis cenſetur,

tur, ſi in partibus luxatis praeter relaxationem nullum aliud malum relinquitur. Laudatur etiam ad leves excoriationes cutaneas, per combuſtionem leniorem productas. Saepe etiam cum fructu applicatur partibus, ſphacelo affectis, et inprimis vſum habet, ſi partes ſphacelatae mumiae inſtar exſiccandae ſunt.

§. 148.

Ad exſiccantia quoque remedia pertinent ESSENTIAE ſic dictae AMARAE, id eſt, quae ex herbis radicibusque amaris et ſpiritu vini praeparantur. Licet enim plures plantae et radices amarae reſoluentem perſaepe virtutem, cum exſiccante coniunctam, habeant, plerumque tamen, ſi cum ſpiritu vini partes ſuas actiuas communicant, vis earum reſoluens perit et non niſi exſiccans cum ſtimulante relinquitur, immo hae ipſae vires per ſpiritum vini augmentum adeo nanciſci videntur. Laudabilem omnino effectum edunt, ſi aquoſa humorum colluuies et laxa ſolidorum compages lentori humorum anſam praebet et digeſtionem inprimis laeſam efficit. Aſt viſciditas nimia abſit, neceſſe eſt; ſique adhuc ob viſcidum propinari nequeunt et reſoluentia ob relaxantem vim minus proficua ſunt, cum reſoluentibus, ſalinis vel etiam ſaponaceis inprimis, coniunctae iſtae eſſentiae multum perſaepe praeſtant, ſicque haecce remedia compoſita nec exſiccante ſua vi materiae viſcidae reſolutioni obſtant, nec reſoluente ſolidorum laxitatem augent.

CAPVT IV.

Conglutinantia.

§. 149.

Conglutinantia remedia vocantur, quae in gluten corporis humani agunt, idque vel in naturali tenacitate conſeruant vel hanc imminutam reſtituunt et augent. Cum itaque duplex eorum actio ſit, et alia imminutam duntaxat glutinis copiam reſtituant, alia autem indolem glutinis mutatam corrigant, omnia conglutinantia in nutrientia et roborantia diuidenda eſſe, ipſa natura horum remediorum ſuadet.

DIVISIO I.

Nutrientia.

§. 150.

Nutrientium ſubſtantiarum nomine ea proprie inſigniendа ſunt corpora, quae praeter ſaporem viſcidum et mucilagineum nullum alium nec etiam odorem vllum habent inque corpus ingeſta vires quidem eiusdem excitant, ſed facile ab iisdem ita ſuperantur, vt pars eorundem gelatinoſa, ab aliis non gelatinoſis ſeparata, cum humoribus et glutine ſolidarum partium commixta ipſam eorum naturam induat ſicque cohaeſionem conſeruet. In omnibus igitur, que nutrientem facultatem exercent, corporibus ad gelatinoſam ſubſtantiam reſpiciendum eſt, quae vel magis vel minus elaborata interdum cum terreis inſipidis interdum cum

cum ſapidis, ab indole fluidorum et ſolidorum diuerſis plane, particulis plus minus arcte cohaerent.

§. 151.

Plura dantur corpora, quae gelatinoſam fouent ſubſtantiam, quaeque ideo nutrire poterunt, niſi ipſa natura animalis obſtet, aut particulae non gelatinoſae, ſimul admixtae, appoſitionem impediant. Licet enim omnis gelatina conglutinantem vim habeat, alia tamen citius alia tardius vel nunquam hancce facultatem amittit, prout diuerſa virium digerentium natura ſe habet. Quare alia gelatina animal quoddam nutrit, quod ab alia, aliud animal nutriente, nutrimentum non accipit. Immo eadem ſaepe gelatina, quae animal in ſano ſtatu nutrit, ſanitate labefactata vel non nutrit, vel etiam adeo nocet. Praeterea quoque ipſa gelatinarum mixtio differt, et aliae, dum tenacitatem amittunt, in alcaleſcentem ſubſtantiam, aliae in aceſcentem commutantur. Ad hanc inclinant gelatinae vegetabilium, ad illam vero animalium gelatinae vergunt.

§. 152.

Inter vegetabilia, quae nutrientem vim praecipuam habent, ſemina cerealia 1) *Secale;* 2) *Triticum;* 3) *Hordeum;* 4) *Auena;* 5) *Fagopyrum;* 6) *Oryza;* tum etiam legumina 7) *Piſa;* 8) *Lentes;* 9) *Milia;* 10) *Fabae*; porro radices nonnullae mucilagineae et farinaceae, 11) *Radix Scorzonerae;* 12) *Radix Cichorei hortenſis* eminent. Ad vegetabilia, quae praeter ſubſtantiam gelatinoſam nutrientem alias ſapidas non nutrientes ſubſtantias fouent, praecipua ſunt fructus

 horaei

horaei; 13) *Ceraſa;* 14) *Fraga;* 15) *Pyra;* 16) *Poma;* 17) *Pruna:* deinde radices nonnullae dulceſcentes 18) *Radix apii dulcis;* 19) *Radix Dauci;* 20) *Radix Petroſelini;* quorum omnium vis nutriens pro diverſa virium digerentium indole valde diuerſa eſt, ita, vt alia citius alia tardius nutriant, aliaque copioſum alia paucum nutrimentum ſuppeditent.

§. 153.

SEMINA SECALIS *); gall. *Segle;* germ. *Rocken;* Semina haec farinam praebent, quae craſſam ſiſtit mucilaginem, ex qua ſpiſſa et tenax admodum educi poteſt gelatina. Pulmenta et iuſcula, ex ea parata, vires digeſtionis admodum validas requirunt, et ſanis robuſtiſſimis tantum nutrimentum praebent. Panis, ex ea paratus, optimum nutrimentum dat ſanis et quibus vires digerentes adhuc integrae ſunt, nec adeo debiles. Decoctum panis tenue habet nutrimentum, debiliſſimis et aegrotantibus proficuum, idque in quocunque fere morbo, vbi vires admodum fractae ſunt, vtile cenſetur.

§. 154.

SEMINA TRITICI **); gall. *Froment;* germ. *Weizen.* Ex his farina obtinetur, quae mucilaginem minus craſſam, quam praecedens praebet, ex qua gelatina non quidem adeo ſpiſſa, vt ex praecedenti, ſed magis glutinoſa, obtinetur. Pulmenta et iuſcula, ex ea parata,

*) *Secale* (cereale) LINN. Spec. 124. BLACKWELL 42.

**) *Triticum* (hybernum) LINN. Spec. 126. BLACKWELL. 40.

parata, vires digeſtionis eodem fere modo, vt praecedentis pulmenta, ſollicitant, neque tam ſtabile tamque firmum nutrimentum praebent. Panis, ex hac farina paratus, facilius ſubigitur quam ſecalinus, hinc debiles et aegrotantes, quibus liquores digerentes aliquantum acres ſunt, laudabile nutrimentum accipiunt. Decoctum eiuſdem tenuiſſimum largitur nutrimentum, debiliſſimis aegrotantibus vtile.

§. 155.

SEMINA HORDEI *); gall. *Orge;* germ. *Gerſte;* Farina hordei ob mucilaginem, pluribus particulis remixtam, pulmenta et iuſcula vix laudabilia nec etiam panem bonae indolis exhibet. Excorticata vero ſemina ſi decoquuntur, iuſcula praebent, quae, ſi cum ſeminibus excorticatis ingeruntur, vires digeſtionis ſat fortes requirunt, ab his vero ſeparata nutrimentum parcum, facile ſubigendum, aegris non adeo debilibus praebent. Hinc in morbis acutis aeque ac chronicis, non adeo viſcidis, conueniunt.

§. 156.

SEMINA AVENAE **); gall. *Avoine;* germ. *Hafer.* Farina auenae mucilaginem fouet teneriorem, cum craſſiore plurima pluribuſque particulis terreis remixtam. Ex ea parata pulmenta, iuſcula et panis alimenta praebent, non niſi a robuſtiſſimis ſubigenda. Excorticata vero auena

*) *Hordeum* (vulgare) LINN. Spec. p. 124. BLACKWELL. 423.

**) *Auena* (ſatiua) LINN. Spec. 118. BLACKWELL. 422.

auena, cum aqua aut iuſculis carnoſis cocta et colata, mucilaginem dat attenuatam, quae, ſi multa aqua diluta eſt, debilibus corporibus nutrimentum praebet, facile tamen viſcidum generat et ſanguinem viſcoſum reddit. Semina auenae integra, cum aqua cocta, tenuiſſimam omnium fouent mucilaginem, gelatinam fere, a debiliſſimis ſubigendam. Robuſtos et ſanos homines vix nutrit.

§. 157.

SEMINA FAGOPYRI *); gall. *Blé ſarraſin*; germ. *Heydekorn*. Mucilago horum ſeminum tenuis eſt et pauca, cum craſſiore mucilagine et pluribus terreis particulis coniuncta. Hinc ea, quae ex farina obtinentur, producta, robuſtiſſimis tantum praebent alimentum. Excorticata ſemina, cum aqua aut iuſculo carnoſo cocta, ſicque ingeſta, vires digerentes non adeo debilitatas requirunt; iuſcula vero, ab ipſa ſubſtantia ſeminum ſeparata et admodum diluta, debiliſſimis praebent nutrimentum, quod facile ſubigitur neque adeo viſciditati anſam praebet.

§. 158.

SEMINA ORYZAE **); gall. *Riz*; germ. *Reis*. Semina haec plurimam fouent mucilaginem attenuatam, cum craſſiore pauca coniunctam. Producta, quae ex farina aut ſeminibus excorticatis obtinentur, copioſum dant nutrimentum, quod, ſi copioſe ingeritur, a ſanis tantum

*) *Polygonum* (fagopyrum) LINN. Spec. 522. MATTHIOL. 320.

**) *Oryza* (ſatiua) LINN. Spec. 475. DODONAEVS Stirp. Hiſt. 509.

tantum et robuſtiſſimis plane ſubigitur et apponitur. Debilia vero parcam tantum copiam ferunt, tuncque optime ſubigunt, melius tamen, ſi iuſculis colatis vtuntur. Optime enim tunc nutriuntur; alias viſcidum variaque ab optimo hoc nutrimento primarum viarum producuntur incommoda.

§. 159.

Piſa, Lentes, Milium, Faba, Solanum eſculentum, Rapae et *Raphanus* non niſi ſanis et robuſtiſſimis, forti duroque labore corpus exercentibus, nutrimentum praebent. Vel enim craſſa tantum mucilago ineſt, vel tenerior pauca, cum multa craſſiore pluribusque terreis et aëre permulto coniuncta. Hinc pro aegrotis alimenta parari ex iiſdem nequeunt: niſi enim ſubiguntur, viſcidum copioſum et tenax et flatus generant.

§. 160.

RADIX SCORZONERAE *); gall. *Racine de Scorzonnere;* germ. *Scorzonere.* Radix haec, quae Hiſpaniam patriam agnoſcit et apud nos in hortis colitur, foris ex luteo rubeſcens eſt, intus alba, digitum ſaepe craſſa, ſaporis mucilaginei, dulceſcentis, odoris nullius. Mucilaginem continet valde ſubtiliatam, cum craſſa et terreis particulis pluribus coniunctam, in quibus omnibus ſubſtantia dulceſcens pauca diffuſa latet. Decoctum aquoſum vel etiam cum iuſculis paratum, dilutum ſatis, tenue nutrimentum praebet, a debilioribus facile ſubigendum.

§. 161.

*) *Scorzonera* (hiſpanica) LINN. Spec. 1112. BLACKWELL. 406.

§. 161.

RADIX CICHOREI HORTENSIS *); gall. *Racine de Chicorrée;* germ. *Hindlaeufft.* Eſt radix longa, tenuis, digitum tamen ſaepe et vltra craſſa, foris albeſcens ſeu ex albo luteſcens, intus albida, inodora et ſaporis mucilagineo-dulceſcentis primo, poſthac amaricantis. Mucilaginem habet admodum ſubtiliatam, non copioſam, cum craſſiore multa pluribusque terreis coniunctam, in quibus cunctis ſubſtantia dulcis pauciſſima pauloque plus ſubſtantiae amaricantis diffuſae reſidet. Iuſcula, ex ea parata, laudabile praebent nutrimentum corporibus, quae viribus fracta ſunt, viſcera digeſtionis debiliſſima habent et humorum tenuitate laborant.

§. 162.

Et Fructus horaei gelatinoſam fouent ſubſtantiam, ideoque nutriunt; pro varia tamen corporum indole id magis minusue praeſtant, ita, vt interdum aliis nutrimentis palmam praeripiant, interdum autem nutritionem impediant ſicque longe poſtponendi ſint. Inprimis autem dictis fructibus mucilago vix vlla ſed ſubſtantia gelatinoſa, maxime attenuata cum pluribus aquoſis nonnulliſque terreis coniuncta, ineſt, quibuscum ſubſtantia vel dulcis vel acido dulcis commixta deprehenditur, ita, vt in aliis plus in aliis minus huius vel illius ſubſtantiae inhaereat. Praecipui horum fructuum ſequentes ſunt.

§. 163.

*) *Cichoreum* (intybus) LINN. Spec. 1142. BLACKWELL. 177 et 183.

§. 163.

CERASA *); gall. *Ceriſe;* germ. *Kirſchen.* Haec ſubſtantiam gelatinoſam perpaucam cum pluribus dulcibus aut acido-dulcibus et multo pluribus aquoſis coniunctam habent.

FRAGA **); gall. *Fraiſe;* germ. *Erdbeer.* His ſubſtantia gelatinoſa attenuata, ſat copioſa, cum multis particulis aquoſis et ſubſtantia acido-dulci coniuncta, ineſt.

PYRA ***); gall. *Poire;* germ. *Birnen.* Pleraque eorum gelatinam, praecedentibus paulo craſſiorem, cum aquoſis copioſis et particulis dulcibus, acido-terreis adſtringentibus, remixtis coniunctam habent.

POMA †); gall. *Pome;* germ. *Aepfel.* Pleriſque eorum ſubſtantia gelatinoſa, copioſa ſatis, cum pluribus aquoſis et acido-terreis particulis immixta eſt, in quibus ſubſtantia grata, acido-dulceſcens, diffunditur.

PRVNA ††); gall. *Pruneaux doux;* germ. *Pflaumen.* Haec maiorem, quam praecedentes fructus, gelatinae paulo ſpiſſioris, ſat elaboratae tamen, copiam ſimulque plures particulas aqueas et terreas habent, in quibus

*) *Prunus* (ceraſus) LINN. Spec. 679. BLACKWELL. 425.

**) *Fragaria* (veſca) LINN. Spec. 708. BLACKWELL. 77.

***) *Pyrus* (communis) LINN. Spec. p. 686. BLACKWELL. 453.

†) *Pyrus* (malus) LINN. Spec. 418. BLACKWELL. 141.

††) *Prunus* (domeſtica) LINN. Spec. p. 680. BLACKWELL. 503.

quibus copioſa et elaborata ſatis ſubſtantia vel mere dulcis vel acidulo-dulcis continetur.

§. 164.

Omnes iſti fructus ſanis et optima valetudine gaudentibus hominibus alimenta praebent, ſed diuerſimode nutriunt. Sic robuſtiſſimi a pyris, pomis, prunis recentibus et coctis, non aeque a ceraſis et fragis copioſum nutrimentum accipiunt; debiles contra, caeteroquin ſani a fragis recentibus et ceraſis, pyris, pomis pruniſque coctis aliquantum nutriuntur. Siccati vero tuncque cocti aegrotantibus alimenta praebent. Sic in morbis acutis et inflammatoriis, ſi victus nutriens et humectans cardiacus indicatur, ceraſa et poma exſiccata nutrimentum largiuntur; ſi idem magis lubricans et humectans neceſſarius eſt, pruna praeſtant; ſi refrigerans inprimis expetitur, ceraſa et fraga recentia laudabis. In genere notandum eſt, cunctos hoſce fructus in ſiccitate quacunque et calore praeternaturali vſum inprimis habere, et viſcidum tenax, inprimis bilioſum et atrabilarium, attenuare ſimileſque acrimonias corrigere; in morbis autem pituitoſis et laxis, aquoſis, acidis vix adeo conuenire, interim ſemper putredini aduerſari et acido fauere. Hinc in morbis egregia ſunt alimenta, quae ob elaboratam gelatinam vires digeſtionis non ſollicitant, et ob adiunctas particulas medicatas cauſis morboſis reſiſtunt eaſque non ſaepe deſtruunt.

§. 165.

RADIX APII DVLCIS §. 73. RADIX DAVCI §. 74. RADIX PETROSELINI §. 75. ob gelatinoſam,

ſam, quam fouent, ſubſtantiam etiam ad nutrientia pertinent, licet plures inſint particulae, quae medicatam vim habent. Cum aqua vel iuſculis decocta inque ſubſtantia ingeſta ſanis duntaxat et bene valentibus alimenta praebent, aegrotis raro et aegris nunquam. Si tamen ſola decocta, a ſubſtantia harum radicum depurata, vſurpantur, etiam infirma et aegrotantia corpora nutriunt. Sic *Decoctum Radicis apii*, cum iuſculo carnoſo paratum, eos nutrit homines, qui viſcido atrabilario, valde tenaci, et ſiccitate laborant; idem fere praeſtat *Dauci Decoctum*, inſimulque acrimoniam ſalſam et putridas materies, nutritionem impedientes, corrigit. *Petroſelini Decoctum* illis nutrimentum largitur, qui viſcidum pituitoſum fouent, et ob id obſtructionibus viſcerum indeque nutritionis defectu laborant.

§. 166.

Aliam, corporique humano affinem magis, gelatinam in ſe continent Animalia complura, quae autem, reſpectu nutritionis, eodem modo, vt vegetabilia, admodum diverſa ſunt. Inter plurima, quae noſtro ſcopo ſatisfaciunt, attentionem merentur inter quadrupeda domeſtica 1) *Boues;* 2) *Vituli;* 3) *Oues;* 4) *Porci;* inter fera 5) *Ceruus;* 6) *Lepus;* inter aues domeſticas 7) *Gallinae;* 8) *Columbae;* inter feras 9) *Phaſianus;* 10) *Perdix;* 11) *Turdus;* inter piſces 12) *Auguilla;* 13) *Carpio;* 14) *Trutta;* 15) *Lucius piſcis;* quibus ſubnecti poſſunt 16) *Cancri fluuiatiles;* 17) *Viperae;* 18) *Oua;* 19) *Lac;* 20) eiuſdem *Serum.* Alia plura praeterimus, quia partim ſuperflua ſunt, partim autem aegris nunquam aut raro commendanda.

§. 167.

BOS VVLGARIS *); gall. *Boeuf;* germ. *Ochs.* Caro eius gelatinam copioſam et ſpiſſam, fibris eius arcte inhaerentem continet.

VITVLVS; gall. *Veau;* germ. *Kalb.* In huius carne gelatina multo tenuior, fibris non adeo arcte inhaerens, deprehenditur.

OVIS **); gall. *Brebis;* germ. *Schaaf.* Caro ouilla et feruecina gelatinam valde attenuatam et pinguem, fibris tenaciter inhaerentem, continet.

PORCVS ***); gall. *Porc, Cochon;* germ. *Schwein.* Ex huius carne gelatina, valde mucilaginoſa, non adeo arcte fibris inhaerens, educitur.

CERVVS †); gall. *Cerf;* germ. *Hirſch.* Huius carni gelatina admodum tenuis et ſapida fere ineſt, fibris non tam arcte inhaerens.

LEPVS ††); gall. *Lievre;* germ. *Haas.* In huius carne gelatina itidem tenuis et ſapida fere, aliquantum tamen magis glutinoſa eſt, a fibris facile ſeparanda.

§. 168.

GALLINA †††); gall. *Poule;* germ. *Henne.* Gelatinam eius caro, valde attenuatam et a fibris facile ſeparandam, fouet.

COLVMBA

*) *Bos* (taurus) LINN. Syſt. p. 71.

**) *Ouis* (aries) LINN. l. c. p. 70.

***) *Sus* (ſcrofa) LINN. l. c. p. 49.

†) *Ceruus* (elaphus) LINN. l. c. p. 69.

††) *Lepus* (timidus) LINN. l. c. p. 57.

†††) *Phaſianus* (gallus) LINN. l. c. p. 158.

COLVMBA *); gall. *Colomb*; germ. *Taube.* Gelatina huius carnis magis adhuc attenuata, multisque particulis aquoſis remixta eſt, facillime a fibris ſeparanda.

PHASIANVS **); gall. *Faiſan*; germ. *Faſan.* Gelatina eius attenuata quidem ſed non adeo aquoſa eſt, et fibris aliquantum inhaerens.

PERDIX ***); gall. *Perdrix*; germ. *Rebhun.* Gelatinam paulo ſpiſſiorem quam praecedentis caro habet, non adeo aquoſam, attenuatam tamen et a fibris facile ſeparandam.

TVRDVS †); gall. *Grive*; germ. *Kramsvogel.* Huius carni gelatina valde attenuata et ſapida fere, parum aquoſa ineſt, fibris tamen vix adeo tenaciter inhaerens.

§. 169.

Inter innumeros piſces, qui in vſu ſunt, pauci tantum in vſum medicum cedunt, ſequentes tamen interdum concedendos eſſe, experientia docet.

ANGVILLA ††); gall. *Anguille*; germ. *Aal.* Inſignem copiam gelatinae, maxime glutinoſae et viſci-

 dae,

*) *Columba* (domeſtica) LINN. Syſt. p. 162.

**) *Phaſianus* (colchicus) LINN. l. c. p. 158.

***) *Tetrao* (Perdix) LINN. l. c. p. 160.

†) *Turdus*: ſub hoc nomine comprehenduntur apud nos quatuor ſpecies. 1) *Viſciuorus*; 2) *Pilaris*; 3) *Iliacus*; 4) *Muſicus*. LINN. l. c. p. 168.

††) *Muraena* (anguilla) LINN. l. c. p. 244.

dae, aquoſis inſimul particulis abundantis, a fibris facile ſeparandae, continet.

CARPIO *); gall. *Carpe*; germ. *Karpfen*. Huius caro magnam etiam copiam gelatinae viſcidae, non tam glutinoſae quam praecedentis, minoremque copiam particularum aquoſarum fouentis, habet.

TRVTTA **); gall. *Truite*; germ. *Forelle*. Huius carni gelatina magis elaborata, viſcida tamen, non adeo copioſa, cum paucioribus particulis aquoſis, pluribusque terreis coniuncta, arctius fibris inhaerens, quam praecedentibus ineſt.

LVCIVS PISCIS ***); gall. *Brochet*; germ. *Hecht*. Hic carnem habet, quae minorem multo copiam particularum aquoſarum quam piſcium praecedentium caro fouet, et gelatinam non adeo copioſam, neque tam glutinoſam, craſſam paulo, fibris arctius inhaerentem, largitur.

CANCER FLVIATILIS †); gall. *Ecreviſſe*; germ. *Krebs*. In hoc gelatina admodum attenuata et valde aquoſa eſt, quae plures particulas terreas connectit, facile tamen ab iis ſeparatur.

VIPERA ††); gall. *Vipere*; germ. *Otter*; Copioſam, ſubtiliſſiam tamen maximeque attenuatam, multis

*) *Cyprinus* (carpio) LINN. Syſt. p. 320.

**) *Salmo* (trutta) LINN. l. c. p. 308.

***) *Eſox* (Lucius) LINN. l. c. p. 314.

†) *Cancer* (aſtacus) LINN. l. c. p. 631.

††) *Coluber* (vipera) LINN. l. c. p. 216.

multis particulis aquoſis refertam, parteſque terreas non adeo copioſas connectentem, ab his facile ſeparandam gelatinam fouet.

§. 170.

Et oua gallinacea quoque et lac et ſerum lactis nutrimentum praebent aegrotis, et tale ſaepe, quod omnibus reliquis palmam praeripit. Oua gallinacea ſub putamine duriuſculo et membranis mollioribus duplicem continent ſubſtantiam, aliam albidam et glutinoſam, quae *Albumen* dicitur, aliam vero luteam et magis ſpiſſam, neque adeo glutinoſam, quae *Vitellus* audit.

ALBVMEN; gall. *Blanc d'Oeufs*; germ. *Eyweis*. Copioſam fouet gelatinam, maxime gelatinoſam, admodum tamen elaboratam, pluribusque aquoſis quam terreis particulis refertam, multis membranulis, cellulas formantibus, incluſam.

VITELLVS §. 133. gelatinam magis craſſam et oleoſam fouet, cum terreis compluribus coniunctam. Hic diutius retinet gelatinam, non tam cito immutandam, albumen vero facillime ſuam dat gelatinam, ſubitis mutationibus obnoxiam.

§. 171.

LAC; gall. *Lait*; germ. *Milch*. Ex vberibus animalium eductum, fluidum ſiſtit album, odoris aliquantum nauſeoſi, dulceſcentis, ſaporis paulo viſcidi, dulcis. Conſtat lac ex plurima aqua et ſubſtantia gelatinoſa, quae cum oleoſis et terreo mucilagineis complu-

ribus cohaeret. Variat tamen lac pro diuerſitate animalium. *Aſininum* et *equinum* lac tenuiſſimam fouet gelatinam, plurimis particulis aquoſis et paucioribus oleoſis et caſeoſis remixtam. Craſſiorem paulo magisque oleoſam, cum caſeoſis paulo pluribus coniunctam, gelatinam *Caprillum lac* habet. *Humanum lac* magis gelatinoſum et oleoſum eſt, neque tamen terreis partibus abundat. Pinguiſſimam gelatinam, multisque partibus caſeoſis remixtam, *Ouillum lac* continet. *Vaccinum* vero gelatinam ouilli lactis gelatina tenuiorem, aſinini vero et caprilli et humani lactis gelatina craſſiorem pluribus caſeoſis et oleoſis quibusdam vnitam, fouet. Hoc, ſibi relictum, omnibus citius aceſcit, tum putreſcit, reliqua non adeo aceſcunt et cito putredinem concipiunt, ouillum praecipue prae reliquis rancidum euadit.

§. 172.

SERVM LACTIS; gall. *Petit Lait*; germ. *Molcken.* Eſt hoc fluidum fere aquoſum, albidum, quod, parte oleoſa et caſeoſa ſeparatis, relinquitur. Ineſt ei gelatina admodum tenuis, non copioſa, cum ſalina ſubſtantia et aliquibus particulis oleoſis terreisue coniuncta. Tenuiſſimum omnium eſt ſerum lactis aſininum, ſequitur caprillum, pinguius tamen quodammodo dicendum; his craſſius paulo eſt vaccinum magisque aceſcens, qua propter etiam citius reliquis aceſcit.

§. 173.

Ex omnibus his a §. 167. ad §. 172. recenſitis carnium generibus egregia nutrimenta pro aegris parari poſſunt,

poſſunt, ſiue in ſubſtantia ſiue etiam iuſcula tantum eorundem ingerantur. Variat tamen nutriendi facultas, prout diuerſa carnium indoles et diuerſa viſcerum digerentium vis eſſe ſolet. Iuſcula carnium gelatinam, a fibris ſolidis ſeparatam multaque cum aqua coniunctam, ſiſtunt, quae vires digeſtionis non validas requirit, cito ſatis ab oris vaſorum lacteorum ſuſcipitur, et facile ſanguinis vias intrat, ibidemque pro diuerſis circulationis viribus mutationes, plus minus ſubitaneas, patitur, ita, vt vel cito vel lente nutriat vel etiam nullam nutritionem abſoluat. Variant etiam iuſcula pro diuerſa praeparatione, aliterque nutriunt ea, quae ex aſſatis carnibus parantur, aliter autem, quae coctae carnes praebent. Variant demum, prout carnium indoles ſe habet, et alia aliaque pro diuerſa gelatinae conſiſtentia vel tenue vel forte craſſumque nutrimentum largiuntur. Eadem ratione carnes ipſae, in ſubſtantia ingeſtae, ſe habent, eaeque pro variante indole et pro diuerſa praeparatione diuerſimode nutriunt, ſemper tamen vires digeſtionis maiores et valentiores quam ipſa iuſcula requirunt, tuncque nutrimentum magis firmum praebent.

§. 174.

Tenue inque morbis chronicis, vbi humores attenuati, acres, acidi fere, ſolida in vniuerſum debilia admodum, debileſque vires digerentes ſunt, maxime proficuum nutrimentum praebent *Serum Lactis*, *Iuſcula* ex viperis, cancris fluuiatilibus et carnibus aſſatis parata. Si vires digerentes paulo valentiores ſunt, hu-

mores autem tenues aquoſi, carnes aſſatae praeſtant, quae, quo magis alcaleſcunt, in ſtatu, vbi acidum abundat, eo magis vtiles cenſentur. Valent etiam in morbis, qui a viſcido pituitoſo, laxo, aquoſo, vel mere inerti vel etiam acido et laxitate ſolidorum dependent. Laudantur demum, vbi corpus, morbis acutis inprimis ſuperatis, ſenſim nutriendum viresque digeſtionis ſenſim excitandae et exercendae ſunt. Tenue quidem ſed praecedentibus craſſius paulo et humidum nutrimentum dant *Juſcula*, ex carnibus coctis parata, et *Oua ſorbilia*, quae in morbis chronicis, qui a viſcido pituitoſo tenaci et laxitate ſolidorum proueniunt et interdum ad aceſcentem ſtatum inclinant, multum valent; proſunt etiam poſt morbos acutos, vbi exſuccus corporis ſtatus cum debilitate relinquitur. Coctae carnes in eodem ſtatu proficuae ſunt, magis vero vires digeſtionis exercent et craſſius paulo nutrimentum praebent.

§. 175.

Languidas vires digerentes ſaepe ad agendum ſollicitat *Caro, fumo indurata*, inprimis ſuilla in ſubſtantia ingeſta; ſi tamen maſticatae tantum, ſuccus deglutitur, nutrimentum tenue quidem, ſed vires digeſtionis excitans, ad ventriculum abit, quod inprimis in morbis chronicis vtile eſt, vbi nimirum ob viſcidum pituitoſum copioſum et inde ortam laxitatem prima praeſertim corporis officina, tandem etiam aliae functiones, languent et corpus tamen nutriendum eſt. Craſſum et valde mucilagineum praebent nutrimentum *Anguilla, Carpio* et id genus alii piſces, proficui inprimis,

mis, vbi humores nimis tenues, ad acidam indolem vergentes, alia nutrimenta cito inmutant et impediant, ne apponantur. Alii piſces, vt *Trutta* et *Lucius piſcis* in eo inprimis corporis ſtatu vtiles ſunt, vbi humores digerentes nimis acres, tantum ne alcalini et putridi, et vires digeſtiones aliquantum ſollicitandae ſunt.

§. 176.

Maxime alit neque multum vires digeſtionis ſollicitat *Lac, humanum* inprimis et *ouillum*, raro in morbis vſurpandum; minus nutrit viresque contra maiores requirit, tuncque craſſius firmiusque nutrimentum dat *Lac vaccinum*, vtile inprimis cenſendum, ſi ob tenuitatem humorum nutritio deeſt et vires digeſtionis non adeo debiles ſunt. Minus etiam nutrit *Lac caprillum*, vires digeſtionis non adeo exercet et cito ſatis apponitur. Laudatur inprimis, ſi humores nimis tenues et acres ſunt, et corpus maxime attenuatum et debilitatum eſt. Tenuiſſimum nutrimentum praebet *Lac Aſininum* et *Equinum*, in illis morbis proficuum, vbi languor inſignis et ſiccitas partium nimia nutritionis defectum inducit, vel etiam ſi humores nimis acidi, neque tamen abundantes, deprehenduntur. Tenuius multo nutrimentum largitur *Serum Lactis*, quod plerumque in omni caſu valet, vbi lac indicatur, hocque tamen ob debilitatem et acidam humorum indolem concedi nequit. Facilius enim Serum tranſit quam Lac, mox apponitur et prae lacte id ſingulare habet, quod in acrimonia calida, ſcorbutica et putrida nutriat et cauſam inſimul morbi infirmet. De ſero demum non

minus quam de lacte notabis, diuturniorem vſum non tolerari, cum facile ob relaxantem et humectantem ſuam vim ventriculo moleſtiam creent et ſaepe nauſeam moueant.

DIVISIO II.

Roborantia.

§. 177.

Roborantia medicamenta in genere vocantur, quae ſenſu adſtringente et exſiccante in lingua excitato ſe manifeſtant et humores et gluten, ſolida nectens, tenaciora reddunt, ideoque ſolida firmant et exſiccant. Effectus horum remediorum tum in ſolidis tum in fluidis ſe produnt, licet non negandum ſit, eos inprimis in ſolidis conſpicuos eſſe. Cum igitur ſolida maius ſemper robur ab iisdem accipiant, roborantium nomine haec ipſa medicamenta inſignita ſunt. Sed condenſantium quoque et antiputridorum nomen ſi quis eis aſſignare ſatagit, recte facit.

§. 178.

Conſtitutiuae horum remediorum particulae actiuae quidem ſunt, nunquam tamen cum actiuis volatilibus comparandae, fixae plerumque et ſaepe pluribus particulis inertibus implicitae, ita, vt cito per corpus neutiquam tranſeant, et ſaepe in eodem ſedem figant. Praecipuae harum particularum acidae indolis ſunt cum terreis arcte coniunctae. Cum autem hae ipſae interdum ſolae absque aliis admixtis inſint corporibus, interdum autem cum

cum mucilagineis aut glutinoſis ſubſtantiis coniunctae ſint, immo haud raro reſoluentes et aromaticas et balſamicas partes immixtas habeant, dicta remedia in Adſtringentia, Roborantia ſtricte ſic dicta et Carminatiua diuidere cogimur.

SVBDIVISIO I.

Adſtringentia.

§. 179.

Adſtringentia medicamenta ſunt, quae ſenſum vel mere adſtringentem vel etiam cum acido coniunctum in lingua excitant. Particulae eorum conſtitutiuae, aqueas particulas ſuctione quaſi in ſe ſuſcipiunt, hinc gluten tenacius et ſiccius reddunt, et fibram ſolidam irritando interſtitia eiusdem coarctant, ideoque dictam fibram, in elaſticitate naturali conſtitutam, firmiorem quidem ſed magis exſuccam minusque elaſticam ſimulque breuiorem quaſi reddunt et rigidam, ita, vt magis quidem quam elaſtica reſiſtat, eo magis autem rupturae proxima ſit, quo rigidior ea facta eſſe, deprehenditur. In arte medendi praecipuam vtilitatem praeſtant 1) *Ferrum* et nonnulla, quae ex eo obtinentur, praeparata; 2) *Aquae Martiales*, 3) *Alumen*; 4) *Acaciae ſuccus*; 5) *Tinctura Gummi Laccae*; 6) *Saccharum Saturni.*

§. 180.

FERRVM, MARS; gall. *Fer*; germ. *Eiſen.* Eſt metallum perfectum malleabile, coloris ex nigreſcente coeruleſcentis, non niſi igne intenſiſſimo fluens et diu admo-

adurodum ante fuſionem igneſcens. Metallum hoc ex ſubſtantia inflammabili conſtat et terra, quae, maiori in copia ſumta inque igne tractata, vitrum ex rubro-fuſcum, in valde parua autem copia, maſſae vitreſcenti addita, vitrum virideſcens dat. Ab omnibus acidis ſoluitur ferrum cumque acido vitriolico et acido ſalis marini in ſubſtantiam ſalinam cryſtallinam abit. Vſurpatur Ferrum vel in ſubſtantia et quidem ſubtiliſſime limatum, Limatura Martis dicta, vel variis acidis ſolutum, tuncque varia infuſa variasque tincturas et vitriola largitur. Vſurpatur etiam eiusdem calx, quae Croci nomen habet. Ad adſtringentia pertinent 1) *Limatura Martis*; 2) *Infuſum Martis vinoſum*; 3) *Infuſum Martis acetoſum*; 4) *Tinctura Martis Ludouici*; 5) *Tinctura Martis aurea*; 6) *Vitriolum Martis*; 7) *Crocus*.

§. 181.

LIMATVRA MARTIS; gall. *Limaille de Fer*; germ. *Eiſen-Feile*. Obtinetur ea, ſi ferrum limatur et per cribrum ſubtiliſſimum traiicitur. Subtili hac limatura, ope terrei cuiusdam e. g. lapidum cancrorum et Gummi arabici in pilulas efformata, vtimur, quando viſcera adhuc illaeſa ſunt et ob copioſum acidum, in primis et ſecundis viis hoſpitans, humores maxime attenuati et ſolida laxa debilia ſunt et lympha nutriens deeſt. Solutum tunc ab acido ferrum hoc immutat, humores denſat ſicque gluten tenacius reddit et ſolida roborat et firmat. Niſi tamen talem ſtatum deprehenderis, in alio quocunque ab hocce remedio abſtinebis: vel enim nihil iuuat, vel adeo nocet.

§. 182.

§. 182.

INFVSVM MARTIS VINOSVM ex vino acidulo, ſupra limaturam martis digeſto, paratur. Id ſingulare habet hoc infuſum, quod in neruos etiam agat, non adeo conſtringat, humores moueat et citius operetur. Hinc in vitiis neruorum, quae a ſola et nimia aquoſitate humorum dependent et vbi inprimis ataxia ſpirituum deprehenditur, ſalutari effectu non deſtituitur. Iuuat etiam, ſi, viſcido morboſo expulſo, laxitas nimia et humorum condenſatio imminuta relinquitur. Si vinum tale ſuper ſubſtantias dulceſcentes vel etiam amaricantes et aromaticas et balſamicas digeſſeris, remedia ad multos morbos, qui a lentore, per viſcidum pituitoſum et nimiam aquoſitatem producto, oriuntur, maxime proficua obtinebis.

§. 183.

INFVSVM MARTIS ACETOSVM, id eſt, Acetum vini ſupra limaturam martis digeſtum, maiorem vim adſtringentem, multo autem minorem vim exſiccantem, quam praecedens Infuſum habet. Fibram enim muſcularem irritando ad conſtrictionem diſponit, ſed aqueas partes non tam copioſe, vt infuſum vinoſum et ſequentes tincturae, conſumit. Humorum etiam motum parum intendit et maiorem vtilitatem praeſtat in morbis, qui a viſcido pituitoſo, laxo, aquoſo, inerti magis quam acido oriuntur. Meabilitas tamen vaſorum adſit, neceſſe eſt. Laxitati inprimis medetur; vix iuuat, ſi humorum nimia tenuitas adeſt, inprimis ſi acido abundant. Si autem ob viſcoſitatem humorum, dum-

dummodo nimia non ſit, nihilominus vſum laudati remedii reformides, cum melle coniungas: nocebit minus.

§. 184.

TINCTVRA MARTIS LVDOVICI ex vitrioli martis cum cremore tartari, aqua ſoluto, ad mellaginem vſque coctis, poſteaque cum ſpiritu vini digeſtis, paratur. Coloris dilute aurei eſt, ſaporis adſtringentis. Inſunt huic tincturae particulae vitriolicae, cum acido tartari et exſiccantibus ſpiritus vini partibus coniunctae. Fibram muſcularem irritando aqueasque partes conſumendo adſtringit, exſiccat, humores mouet et fibram firmam quidem ſed non adeo elaſticam reddit. Vſum habet, vbi in morbis chronicis ſanguis etiam viſcoſus paulo eſt, dummodo omnis obſtructio et viſcerum laeſio abſit, neque laxitas adeo inſignis deprehendatur. Coniunctionem amat cum extractis amaris, tuncque in morbis chronicis viſcidis, aquoſis, acidis egregia medicamina largitur.

§. 185.

TINCTVRA MARTIS AVREA paratur, ſi ſic dictus ſpiritus ſalis dulcis limaturae martis adfunditur, cumque ea per aliquot tempus digeritur, quo facto liquor aurei coloris, ſaporis adſtringentis obtinetur. In hac tinctura partes adſtringentes ferri et acidi ſalis exſiccantibus ſpiritus vini partibus vnitae ſunt. Eadem fere praeſtat, quae praecedens tinctura, ſed fortius operatur. Prodeſt inprimis in morbis chronicis, vbi ob inſignem aquoſitatem humorum ſolida valde flaccida et debilia

debilia ſunt et nutritio deficit. Multum exſiccat corpus, ideoque aquoſam humorum colluuiem requirit. Sumuntur huius tincturae guttae viginti ad quadraginta ex vino ieiuno ventriculo. Aegrotantibus, lectulo affixis, caute propinanda eſt.

§. 186.

VITRIOLVM MARTIS FACTITIVM ex limatura martis, ope acidi vitriolici ſoluta, per cryſtalliſationem paratur. Cryſtalli enatae rhomboidales ſunt, viridem colorem et ſaporem valde adſtringentem, ſubdulcem, nauſeoſum quaſi habent. Fibram muſcularem valide irritat vitriolum et aqueas partes copioſas conſumendo inſigniter conſtringit. Raro interne vſurpatur, ſi tamen pauca grana multa aqua ſoluuntur, tuncque aqua haec vitriolica ſenſim potatur, in iisdem morbis chronicis, in quibus praecedentes tincturae vſurpantur, egregie roborat. Omnis vero viſciditas, laeſio viſcerum, obſtructio quaecunque, putridum vel minimum, alcaleſcentia quaeuis abſit, neceſſe eſt. Externe ad ambuſta leuiora et ſiſtendas haemorrhagias laudatur; attamen caute applicabis. In vſum medicum ſemper vocetur Vitriolum factitium, nunquam naturale. Hoc enim raro a particulis venereis liberum eſt.

§. 187.

CROCVS MARTIS eſt calx ferri ſeu ferrum deſtructum, parte ſua inflammabili orbatum. Vario modo obtinetur. Sic ferrum, ab acidis ſolutum, per ſolam euaporationem ad ſiccitatem vſque et per ſubſequentem calcinationem in crocum abit. Vitriolum martis ſolu-

tum

tum et praecipitatum, edulcoratum et calcinatum itidem crocum praebet, immo limatura martis, aeri expoſita vel aqua ſaepius irrotata et lente exſiccata, rubiginem contrahit et crocum largitur. Tandem etiam crocus per commixtionem nitri et limaturae martis et per ſubſequentem detonationem vel etiam ope ſulphuris, ſuper ignitam limaturam martis deflagrati, obtinetur. Alias praeparationes non nominamus. Omnes croci martis adſtringunt, ita tamen, vt alii tantum aquam ſuctione quaſi in ſe ſuſcipiant, alii autem id non ſolum praeſtent, ſed etiam fibram muſcularem irritando conſtringant et conſtrictam relinquant. Raro interne vſurpantur; niſi enim omne viſcidum ſublatum fuerit, et ſola aquoſitas humorum abundet, vix tuto crocum interne propinabis. Facile enim obſtructionibus anſam praebet. Externe tamen interdum locum inuenit et optimo cum ſucceſſu applicatur, ſi vlcera inueterata, depurata tamen, humoribus nimis tenuibus abundant, eaque ob inſignem laxitatem ſanari nequeunt. Eligendus tunc crocus eſt, qui per aquām aut acetum obtentus fuit. Diſtinctio in aperientes et adſtringentes nulla eſt. Adſtringunt ſemper.

§. 188.

AQVAE MARTIALES ſunt aquae minerales, viribus ſalutaribus inſtructae, obque ſubſtantiam martialem inprimis ab aliis diſtinguendae. Inter permultas aquas martiales *Aquae* praeſertim *Spadanae*, *Swalbacenſes*, *Pyrmontanae* et *Lauchſtadienſes* prae reliquis attentionem noſtram merentur, tum quod inter noſtros inprimis in vſu ſunt, tum etiam quod ob egregiam indolem

ſe

ſe commendant. *Spadanae aquae* in epiſcopatu Leodienſi, *Swalbacenſes* in Comitatu Cattimelibocenſi et quidem in Loco, *Langen-Schwalbach* dicto, *Pyrmontanae* in Weſtphalia in Comitatu Pyrmontano, et *Lauchſtadienſes* in Saxonia in oppidulo, *Lauchſtæd* dicto, prope Martisburgum ſito, ſcaturiunt. In tribus prioribus Spiritus mineralis elaſticus, Subſtantia alcalina et Subſtantia vitriolica continentur. Inter has, tum ob copiam Spiritus mineralis tum etiam ob reliquas ſubſtantias, *Pyrmontanae* eminent. Omnes eundem fere effectum edunt, gradu tamen differunt, ita, vt *Pyrmontanae* inter has efficaciſſimae cenſendae ſint; ſequuntur *Swalbacenſes*, demum *Spadanae*. Deguſtatae ſenſum quaſi pungentem in lingua excitant et adſtrictorium relinquunt. Vivide ſatis fibram muſcularem irritant, motum fluidi nervei promouent et augent, humores reliquos primo attenuant, acidos corrigunt, viſcidum morboſum, mobile iam et attenuatum, magis attenuant et mouent, nondum vero mobile factum vaſisque adhuc impactum vix aggrediuntur, viſcidoque per vrinarias inprimis vias euacuato humores denſant et fibram muſcularem roborant neruiſque vigorem reſtituunt. In chronicis morbis vtiles ſunt et iis quidem, vbi obſtructio viſcerum fere nulla eſt, humores aqua et viſcido laxo, mobili acidoue abundant, ſolida laxa et ob haſce cauſas lentor in Syſtemate ſanguineo et etiam nerueo animaduertitur. Conducunt inprimis aegrotantibus, lectulo non affixis, nocent plerumque decumbentibus. Vſurpantur vel per ſe vel cum lacte aut ſero lactis commixtae. Si hoc, ſerum nimirum, et lac adiunxeris, etiam illis hominibus, qui-

bus ob recenſitas cauſas nutritio ſenſim ceſſat, egregium auxilium feres. Saepe omnino profuit haec methodus, ſi viſcera, ob vlcus inhaerens, laeſa fuerint, modo obſtructio fere abſit, neque aegrotantes adeo debilitati reperiantur.

§. 189.

AQVAE LAVCHSTADIENSES ſaporem adſtringentem vitriolicum habent. Ineſt eis pauca portio ſpiritus mineralis, multum vero ſubſtantiae martialis, et aliqua portio Salis mirabilis Glauberi. Raro interne vſurpantur, licet non negandum ſit, has ipſas, morbis chronicis ſuperatis et laxitate tantum ſolidorum humorumue aquoſitate et primarum viarum debilitate relicta, viſceribus caeterum ſanis et illaeſis, multum profuturas eſſe. Externe laudantur in balneis, ſi ob inſignem laxitatem ſolidarum partium debilitates, languores, laſſitudines continuae et, ob iſtam cauſam, ſpaſmi et membrorum immobilitates oboriuntur. Proſunt etiam, ſi vlcera inueterata, nunc depurata, ob inſignem laxitatem et affluxum humorum ſeroſorum conſolidari nequeunt. Caue tamen ne ſicciores et bilioſos homines his vti iubeas.

§. 190.

ALVMEN; gall. *Alun;* germ. *Alaune.* Eſt ſubſtantia ſalina, octoaedra, ſaporis valde adſtringentis, ſubdulcis, quae ex propria minera in Germania aliiſque Europae regionibus coquendo, euaporando et cryſtalliſando obtinetur. Conſtat ex acido vitriolico et terra quadam, quae cum ſilicea, admodum attenuata, valde conuenit. Gluten et humores aqueis particulis inſigniter priuat,

priuat, hinc coagulat, exſiccat et ſolida valide adſtringit. Vix tuto interne vſurpari poterit; ſi vero ad gargariſmata paucis in granis recipitur, interdum iuuat, inprimis ſi fauces et gingiuae inſigniter relaxatae ſunt; melius tamen vſurpatur, ſi cum melle commiſcetur. Laudant etiam ad ſiſtendas haemorrhagias, ſed caute eo vtendum eſt. Multa enim haud raro incommoda produxit.

§. 191.

ACACIAE AEGYPTIACAE SVCCVS *); gall. *Suc d'Acacia veritable d'Egypte;* germ. *Aegyptiſcher Schottendorn-Saft.* Exprimitur ex fructibus immaturis. Expreſſus ſuccus ad conſiſtentiam ſolidam coquitur. Saporem habet primo ſubdulcem, poſtea auſterum adſtringentem, odorem nullum. Ex partibus conſtat gummoſo-mucilagineis, quibuscum ſubſtantia acida auſtera coniuncta eſt. Fibram muſcularem irritando parteſque aquoſas inſpiſſando conſtringit et humores ſpiſſos reddit. Raro interne vſurpatur; poſſet tamen interdum in vſum duci, ſi abſente acrimonia quacunque fluxus aluinus, ob meram tantum aquoſitatem et inſignem laxitatem ſolidorum, continuus fere ſit, aliaque plura fruſtra tentata ſint remedia. Gargariſmata plerumque adſtringentia ingreditur, ſi tamen vtilitatem tunc praeſtare debet, faucium oriſque laxitas, ab inſigni copia pituitae aquoſae producta, adſit, neceſſe eſt. Alias nocet. In primo caſu mel adiunxiſſe, non poenitebit. Raro iſte

 in

*) *Mimoſa* (nilotica) LINN. Spec. 1506. BLACKWELL. 337.

in officinis genuinus aſſeruatur, ſed plerumque ei ſubſtituitur SVCCVS ACACIAE NOSTRATIS ſeu GERMANICAE; gall. *Suc des Prunes ſauvages;* germ. *getrockneter Schlehenſaft.* Eſt ſuccus ex fructibus immaturis, vel interdum etiam maturis *Acaciae Germanicae* *) expreſſus et inſpiſſatus, ſaporis acido-auſteri, adſtringentis, ex partibus mucilagineis et acido-terreis conſtans. Idem praeſtat, ſed magis auſterus eſt, hinc fortius adſtringit.

§. 192.

GVMMI LACCA; gall. *Gomme Lacque;* germ. *Gummi Lacc.* Eſt ſubſtantia quaedam reſinoſa ſeu terreo-reſinoſa, quam ab animalculis quibuſdam alatis, formicis ſimilibus, in India orientali colligi et arboribus quibuſdam inprimis Iuiubae arbori adglutinari **) perhibent. Tres habentur ſpecies; alia eſt in granis, alia in baculis, alia in tabulis; haec per artem ex prioribus fuſione paratur. Odorem nullum habent, ſi tamen accenduntur, fragrantem et gratum ſpirant. Sapor adſtringens ſeu exſiccans reſinoſus eſt. Ex partibus reſinoſis, cum terreis compluribus coniunctis, conſtant. In ſubſtantia interne vix vſum habent, paratur vero ex eis ope ſpiritus vini *Tinctura,* quae interdum etiam ex alumine et aquis quibuſdam deſtillatis conficitur. Vtraque adſtringit, fortius tamen cum alumine parata. Prior ad

*) *Prunus* (ſpinoſa) LINN. Spec. 680. BLACKWELL. 494.

**) Suite de la Matiere Medical de M. GEOFFROY. Regne Animal. Premiere Claſſe des Inſectes. A Paris, 1756. 12. p. 483. et Verſ. Germ. Lipſ. 1763. 8. Tom. VI. p. 438.

ad roborandas gingiuas relaxatas, poſterior autem ad roborandas fauces laxas laudatur. Si priorem interne propinare velis, non niſi in morbis primarum viarum, qui a mera tantum aquoſa humorum colluuie et laxitate inſigni dependent, eam vtilem reperies.

§. 193.

SACCHARVM SATVRNI ex minio ſeu lithargyrio per acetum ſoluto per euaporationem et cryſtalliſationem paratur. Saporem habet adſtringentem, ſubdulcem ingratum, et ex terreis plumbi partibus, cum aceto coniunctis, componitur. Vim habet et coagulantem et exſiccantem et conſtringentem; vtilitatem inprimis praeſtat, vbi lympha admodum tenuis, acris et rodens partes irritat et ſanationem vlcerum retardat vel impedit. Caute tamen ſemper applicetur, neceſſe eſt. Interne venenorum more ſe gerit.

§. 194.

Inſignis omnino eſt remediorum adſtringentium numerus, ita, vt vix planta quaedam, immatura adhuc, reperiatur, quae aliquali effectu adſtringente deſtituta eſſe videatur. Plura certe ſunt corpora, quae hanc ob rationem in vſum medicum vocantur, de quibus autem pauca commemorare aut nomen tantum indicare, placet. Adſtringentem vim habent 1) *Baccae Oxyacanthae* ſeu *Berberis dumetorum;* 2) *Fructus Corni;* 3) *Fructus Meſpili* inprimis *immaturi,* qui omnes ob ſubſtantiam acido-terream abundantem, cum mucilagine craſſiore coniunctam, raro interne vſum habent, interdum tamen in diuturnis alui fluxibus, vbi cum aquoſa

 humo-

humorum colluuie inſignis laxitas adfuit, aliis fruſtra tentatis, vtilitatem praeſtiterunt. 4) *Terra Iaponica* ſeu *Catechu,* quae ſuccum condenſatum vegetabilem, gummoſo-mucilagineum, cum acido-terreis et aliquibus reſinoſis partibus coniunctum, ſiſtit, ad haemorrhagias alvique fluxus ſiſtendos vix bene laudatur, ſi tamen nimia laxitas abſque vlla acrimonia vrget, non plane reiicienda eſt. 5) *Gummi* ſeu *Reſina Animae;* 6) *Gummi Carannae;* 7) *Gummi Sandarachae;* 8) *Gummi Tacamahacae;* 9) *Olibani* reſinoſa fere corpora ſunt, et acido terreas quaſdam partes adiunctas habent, praecipue autem ob oleoſas ſubtiliores, non vt adſtringentia vera, agunt, ſed motum humorum intendunt et aqueas partes diſſipant, hinc exſiccando fibrae ſolidioris robur augere videntur, inde etiam ſuffimigia ingrediuntur. 10) *Folia Myrti Tarentinae;* 11) *Radices Capparidis;* 12) *Nuces Cupreſſi;* 13) *Strobili Pini* ob partes mucilagineas cum oleoſis reſinoſis et paucis acido-terreis commixtas, humores commouent, reſoluunt, corpus calefaciunt et exſiccant. 14) *Radix Biſtortae;* 15) *Radix Tormentillae* ob partes reſinoſo-mucilagineas, cum acido-terreis arcte coniunctas, interne plus nocent quam iuuant. 16) *Ligno Santalo rubro;* 17) *Floribus Balauſtiorum;* 18) *Roſae ſylueſtri* parum virtutis ineſt, et coloris gratia plerumque adduntur. 19) *Granati Malum* et eius Cortex, *Malicorium* dictum, in aluinis fluxibus mere aquoſis ob terreas complures partes, cum acido-auſteris coniunctas, interdum quid praeſtant. 20) *Folia, Cortex, Lignum* et *Fructus Quercus* ob terreo-mucilagineas craſſiores partes, cum multis acido-terreis commixtas, vix tuto interne

interne vſurpantur, iuniores tamen cortices non contemnendi plane ſunt et experientiae, caute inſtituendae, commendandi. 21) *Herba Equiſeti,* partes acido terreas teneriores, cum pauca mucilagine coniunctas, fovens, gargariſmata adſtringentia non ſine fructu ingreditur. 22) *Baccae Myrtilli* ſucco acido dulci, aliquantum nauſeoſo, cum ſubſtantia acido-terrea adſtringente coniuncto, corporibus laxis, pituitoſis proſunt. 23) *Baccae Vaccinii rubrae* ob ſuccum acidum auſterum, elaboratum tamen, cum paucis mucilagineis attenuatis coniunctum, laxitati et humorum aquoſitati medentur, coctione autem mitiores factae cumque ſaccharo edulcoratae ſiccitatem tollunt et atrabilarios iuuant. 24) Adſtringentibus etiam adnumeratur *Bouiſta* ſeu *Crepitus Lupi,* fungi ſpecies, cuius puluis admodum tener inſignem vim conglutinantem habet et ad ſiſtendas haemorrhagias externe ſaepe laudatur, vulnera plerumque impura reddit et corrumpit. 25) *Agaricum quernum* tandem, qui itidem ad fungos pertinet, rite praeparatum optimo cum ſucceſſu partibus vulneratis imponi et haemorrhagias, humores et ſanguinem quaſi inſugendo vaſaque obſtipando, ſiſtere recentiorum experientiae docent. Alia minus adhuc vſitata non tangimus.

SVBDIVISIO II.

Roborantia.

§. 195.

Roborantia remedia multum cum adſtringentibus communia habent, mitius tamen agunt, eaque hoc nomine inſigniuntur corpora, quae ſenſum adſtrictorium

lenem, cum exſiccante coniunctum, excitant et ex particulis acido-terreis, id eſt adſtringentibus, cum mucilagineis glutinoſis arcte coniunctis conſtant. Agunt haec ipſa in humores, eoſque condenſando arctius coniungunt, agunt etiam et praecipue quidem in gluten, partes nectens, ſeque huic vniunt, partes eiuſdem fluidiores lentiores ideoque gluten ipſum tenacius et ad connectendum aptius reddunt, ſicque elaſticitatem naturalem reſtituunt et augent. Pertinent ad haecce remedia 1) *Tinctura martis cydoniata;* 2) *Tinctura martis pomata;* 3) *Cydonia;* 4) *Cortex Peruuianus;* 5) *Rubia Tinctorum;* 6) *Millefolium;* 7) *Coccinella.*

§. 196.

TINCTVRA MARTIS CYDONIATA ex ſucco cydoniorum expreſſo et ſuper limaturam martis digeſto paratur. Odor gratus eſt, ſapor ſubdulcis et adſtringens. Conſtat ex particulis adſtringentibus acido-dulcibus et mucilagineo-glutinoſis ſucci cydoniorum et particulis martialibus, quae cum particulis cydoniorum connubium ſat firmum inierunt. Fibram muſcularem leni irritatione afficit, fluidasque partes inſpiſſando et tenaciores reddendo cohaeſionem partium auget. Vtilis cenſetur haec tinctura in morbis chronicis, qui a laxitate et aquoſitate nimia dependent, et vbi inſimul neruoſa debilitas deprehenditur. Parum iuuat, ſi acrimonia acida ſimul, humoribus ineſt. Nocet ſemper, ſi calida, billioſa, rancida, alcaleſcens acrimonia corpus perturbat. Sumitur pro doſi ad cochleare vnum aut vltra aliquoties per diem.

§. 197.

Mitior cenſenda eſt TINCTVRA MARTIS POMATA, quae eadem ratione ac praecedens paratur, praeter id quod loco ſucci cydoniorum ſuccus pomorum borsdorfianorum ad eam impendatur. Odor huius tincturae quodammodo nauſeoſus et dulcis eſt, ſapor dulcis, mucilagineus quaſi et leniter adſtringens. Multo plures partes fouet mucilagineo-glutinoſas, pauciores vero acidas et adhuc mitiores quam praecedens tinctura. Inde etiam lenius multo operatur, inque omni caſu valet, vbi altera illa vſurpatur; ſi tamen aquoſitas nimia eſt et laxitus inſignis, prior, cydoniata nimirum, praeſtat; contra vero, ſi humorum condenſatio non adeo imminuta eſt, vel etiam in viſcido pituitoſo et laxo aquoſo humorum ſtatu roborantia leniora interponenda ſunt, vt reſoluentia minus noceant, laudata tinctura martis pomata vtilis omnino cenſenda eſt.

§. 198.

CYDONIA; gall. *Coins*; germ. *Quitten.* Sunt fructus arboris *Cydoniae* *), dictae. Odor eorum gratus et reficiens eſt, ſapor gratus, dulcis, mucilagineus, adſtringens. Ex partibus conſtat pluribus aquoſis et mucilagineo glutinoſis, cum terreis nonnullis coniunctis, in quibus ſubſtantia volatilis grata, vinoſa, ſimulque adſtringens acido-dulcis reſidet. Fibram muſcularem modice irritat, fluidas humorum partes lentiores et tenaciores, hinc etiam gluten tenacius reddit, obque

 hanc

*) *Pyrus* (cydonia) LINN. Spec. 687. BLACKW. 137.

hanc cauſam ſolida roborat, nerueumque fluidum grate afficiendo motum humorum non quidem intendit, ſed ad conſeruandum quidquam tribuit, et corpus aliquantum nutrit. Proſunt cocta in morbis acutis, vbi ob fluidi neruei defectum et ſolidorum laxitatem circulus humorum torpet et victus nutriens roborans et analepticus indicatur. Nunquam tamen aluus ſicca ſit, neceſſe eſt. Conducunt eadem in morbis chronicis, vbi vires ob ſolidorum laxitatem et aquoſam humorum colluuiem languent: abſit tamen acrimonia acida et viſcidum tenax. Optimi vſus ſunt, ſi putredinoſa humorum reſolutio deprehenditur. Licet enim per ſe morbum talem vix tollant, aliorum tamen remediorum, aduerſus putredinem propinandorum, actionem multum iuuant et efficiunt, vt corpus nutriendo antiputrida medicamina efficacius agant. Siccati fructus magis adſtringunt, et inprimis ad alui fluxus diuturnos, mere aquoſos, laudantur. Expreſſus ſuccus, neque coctus neque cum melle mixtus, idem fere praeſtat, ſed mitius operatur neque adeo diu moras nectit. Hydropicis interdum iuuamen adfert, ſed melli aut ſaccharo mixtus.

§. 199.

CORTEX PERVVIANVS, CORTEX CHINAE *); gall. *Quinquina*; germ. *China-Rinde*, *Fieber-Rinde*. Ex

*) *Cinchona* (officinalis) LINN. Spec. 244. Iconem corticis peruuiani dedit Cl. CONDAMINE in Mem. de l'Academ. des Scienc. de Paris 1738. Edit. Amſtelod. p. 340 et 346.

Ex America adfertur. Optimus eſt, aliquot lineas craſſus, facillime diffringendus, coloris e fuſco-rufeſcentis, odoris quaſi terrei, ſaporis amari, mucilaginei, leniter adſtringentis. Conſtat ex partibus mucilagineis et acido-terreis, quibuscum ſubſtantia amara paucaque balſamica coniuncta eſt. Optimi vſus eſt *Puluis* eiusdem, deinde *Infuſum* et *Decoctum* nec non *Extractum aquoſum*, tandem *Infuſum vinoſum*. Omnibus ineſt egregia vis roborans, haematopoietica et antiputrida; variant tamen iſtae vires pro diuerſa praeparandi ratione. *Puluis* corticis peruuiani leni irritatione fibram muſcularem ad conſtrictionem inuitat, fluidisque corporis partibus ſolidiores ſuas vniendo humores denſat, ſolida roborat, exſiccat et motum humorum promouet, amaricantibus ſuis partibus acido obeſt, hisque et balſamicis putrido aduerſatur; hinc in omnibus morbis, qui a laxitate ſolidorum et tenuitate humorum proueniunt, aut vbi tenuis putrida humorum indoles eſt, excellentiſſimum praebet remedium. Quapropter in pluribus perſaepe morbis tum chronicis tum acutis ad eum confugiunt medentes. Mitiſſimum ſemper eſt medicamen et nunquam niſi culpa medici nocet. In quibus enim morbis ſiccitas, aut robur ſolidorum nimium aut denſitas humorum et viſciditas peccat, officit ſane, qui innocentem alias corticis puluerem propinare audet. Idem dicendum eſt de reliquis praeparatis, excepto eo, quod virtutes minores ſint et ob hancce rationem interdum valeant, vbi corticis puluis ob efficaciam exhiberi nequit. Sic *Infuſum* eiusdem, ope aquae frigidae paratum, leniſſimam vim habet et prodeſt

prodeſt corporibus, quae ob teneram laxam debilemque ſolidorum compagem ſanguinem minus denſum, viſcoſum, non nutrientem habent indeque languent. Paulo plus virium ineſt Infuſo, ope calidae parato, hocque ſuperat *Decoctum;* id autem reſpectu virium pulueri propius accedit, praeter id, quod citius agere incipiat, citius hoſtes aggrediatur, citius tamen quoque defatigetur agereque deſinat. Sua etiam laus eſt *Infuſo vinoſo*, reliquis autem calidius cenſetur, magis exſiccans, neruinum magis; hinc vbi laxitas inſignis, irritabilitas fere delata et aquoſa colluuies abundans, obque has cauſas tum in ſanguine tum etiam in neruis languor continuus, calor fere nullus obſeruatur, nullum remedium vinoſo huic infuſo par eſt. Omnibus his inferius eſt *Extractum*, alias laudandum: roborat quidem, denſat, exſiccat, putredini aduerſatur; ſi tamen priora cuncta fruſtra exhibueris, hoc certe inutile erit. Adiuuat reliqua, adiuuat alia, quae tantum reſoluunt, quaeque aliam vim habent et connubio non aduerſantur. An ergo taxandi ſunt, qui corticem eiusque praeparata in febribus intermittentibus, acutis, lentis, putridisue, putridis aliis morbis, phthiſi, fluxibus aluinis, ſphacelo aliisque morbis extollunt? Experti ſane loquuntur; corticem morborumque cauſas dignoſcunt. Cur vero male audit? exhibuerunt, vbi inflammatio, vbi obſtructio, vbi viſciditas inſignis, vbi ſiccitas perpetua, vbi malum incurabile fuit. Medicus laudat, ignorans culpat, empiricus calumniatur.

§. 200.

§. 200.

RADIX RVBIAE TINCTORVM *); gall. *Racine de Garance*; germ. *Faerber-Roethe.* In germania paſſim colitur. Radix digitum craſſa eſt, foris rubeſcit, intus vero ex albo rubeſcentem colorem habet. Saporis eſt mucilaginei adſtringentis; odoris nullius. Ex partibus conſtat terreis compluribus et mucilagineis, quibuscum ſubſtantia modice adſtringens coniungitur. *Decoctum* huius radicis *aquoſum*, leni irritatione excitata humoribusque inſpiſſatis, fibram muſcularem conſtringit et vſum inprimis habet, ſi ſolida ob viſcidum copioſum relaxata, dicto viſcido maximam partem euacuato, ſenſim roboranda ſunt. Cum in vias vrinarias agat, ad roborandas easdem prae aliis cum fructu vſurpatam eſſe, experientia docet. Oſſa etiam prae aliis penetrare, experimentis ſaepe inſtitutis, diſcimus; hinc in morbis oſſium, vbi nimia eorum mollities et flexilitas eſt, cum fructu propinatur.

§. 201.

MILLEFOLIVM **); gall. *Millefeuille*; germ. *Schaafgarbe.* Ad plantas indigenas pertinet. Adulta et florens odoris eſt balſamici et aliquantum camphorati, ſaporis amaricantis et adſtringentis. Conſtat ex partibus terreis, mucilagineo-gummoſis, reſinoſis et oleoſis

*) *Rubia* (tinctorum) LINN. *Spec.* p. 158. BLACKWELL 326.

**) *Achillea* (millefolium) LINN. Spec. 1267. BLACKWELL. 18.

oleoſis aethereis. In mucilagineo-gummoſis et reſinoſis ſubſtantia amaricans et adſtringens, in oleoſis vero balſamica acris haeret. Parantur ex ſummitatibus huius plantae *Aqua deſtillata* et *Oleum aethereum*, quae roborante vi deſtituuntur, porro *Infuſum* et *Decoctum aquoſum*, *Extractum* et *Eſſentia*, ſpiritus vini ope parata. *Infuſum aquoſum* fibram muſcularem leniter irritat, humores aliquantum mouet, fluidi neruei motum, ob nimiam tenuitatem irregularem factum, regularem reddit, partes humorum aquoſas aliquantum conſumit, non expulſas lentiores reddit; hinc demum humores denſat, ſolida exſiccat et roborat atque ob id putridi lentioris vim paulo infringit. Itaque ad calidiora exſiccantia, roborantia, antiſpaſmodica, antiputrida et vulneraria pertinet, quae tamen vires ſemper leniſſimae cenſendae ſunt. Vſum inprimis habet in morbis chronicis, vbi ſolida ſenſim paulatimque exſiccanda et roboranda ſunt, inſimulque tenuitas humorum et putreſcens vel etiam aceſcens indoles corrigi, iique ipſi lente denſari debent. Praeſtat etiam, vbi ſolida, ob vlcus inhaerens relaxata, abſtergens et roborans remedium requirunt. Hinc phthiſicis, haemorrhoidariis nonnullis et vlceroſis egregium medicamen eſt. Aliter paulo agit *Decoctum* et *Extractum*, quibus balſamica vis deficit, maior vero roborans ineſt: ad mitiſſima tamen roborantia pertinent et proſunt in morbis, vbi ob viſcoſum aquoſumue humorum ſtatum acidamque inprimis indolem et ob laxa ſolida lentor obſeruatur; aſt meabilitas vaſorum adſit, neceſſe eſt. Externe ad vulnera, vbi laxitas conſo-

conſolidationem impedit, cum fructu adhibentur. *Eſſentia* Millefolii praecedentibus multo calidior, magis exſiccans et ſtimulans eſt, balſamica vi non deſtituta. Vſum habet, ſi, ob nimiam aquoſitatem humorum, laxitas nimia eſt et, ob lentorem inſignem, ſtagnantes humores tenues ad viſcidum generandum et obſtructiones inde oboriundas vel etiam ad putredinem concipiendam diſponuntur. Cum reſoluentibus eſſentia haec coniuncta carminatiuam ſaepe vim exercet. In genere cuncta haec praeparata proſunt laxis, aquoſis, debilibus; nocent atrabilariis, ſiccis, bilioſis.

§. 202.

COCCIONELLA, COCCINILLA, COCHINILLA; gall. *Cochinelle;* germ. *Coccinell.* Grana ſunt externe ex fuſco albeſcentia, quae comminuta in ſubſtantiam puluerulentam purpuream abeunt. Grana haec exſiccata ſunt Inſecta, quae *Ficubus Indicis* ſeu Opuntiis *) inſident. Ex Noua Hiſpania inprimis adferuntur. Odorem nullum habent, ſaporem vero mucilagineum leniterque adſtringentem. Corpus humanum non adeo mutant, ad denſitatem vero humorum et ſolidorum robur reſtituendum quidquam conferunt. Commode quidem hocce remedio carere poſſunt officinae; cum vero interdum, ob aegrotorum nimium in

em

*) Iconem Coccinellae vid. apud REAVMVR Mem. pour l'Hiſtoire des inſect. Edit. Amſtel. T. IV. P. I. tab 7. fig. 13. ſeq. nutritur potiſſimum in ea Cacti Opuntiae ſpecie, quam LINNAEVS *Tunam* dicit. vid. Spec. p. 667.

medicamina confidentiam, medicamenta exhibenda ſint, morborum interim et corporis ſtatus talia expoſtulet, quae corpus aut naturam vix turbent, innocens hocce inſectum propinare, conducit. Cum aceto vini in febribus acutis, cumque acido vitrioli in putridis, *Tincturam* non ſpernendam parabis; *Puluerem* in morbis chronicis laxis, pituitoſis, immo et ipſum *Infuſum* et *Decoctum aquoſum* in iisdem exhibebis; conducet ſane, ſi a leniſſimis remediis corpora ſtatim afficiuntur. Hinc in maxime debilibus non contemnendi vſus ſunt. In aliis nec iuuant, nec nocent.

SVBDIVISIO III.

Carminatiua.

§. 203.

Carminatiua remedia ad roborantia proxime accedunt, magis tamen compoſita magisque actiua ſunt, hocque nomine ea inſigniuntur corpora que fibras totius corporis, praecipue primarum viarum, motrices irritando mouent, motumque periſtalticum promouent, humorum motum intendunt, aquoſas partes diſſipant, hinc digerentes liquores acuunt, alios calefaciunt, viſcidi morboſi generationem impediunt, natum tamen vix tollunt et digeſtionem promouent. Partes eorum conſtitutiuae ſunt aromaticae, ſeu oleoſae acres cum reſinoſis et mucilagineo-gummoſis acribus, amaricantibus ſaepeque acido-terreis coniunctae. Stimulant ergo, mouent, calefaciunt, exſiccant, idcirco ad reſtituendum robur partium, ob nimiam aquoſitatem laxata-

xatarum quidquam conferunt. Praecipua nobis ſunt, 1) *Caſſia lignea*; 2) *Cortex Cinnamomi*; 3) *Semen Foeniculi*; 4) *Coffea*; 5) *Semen Carui*; 6) *Radix Helenii*; 7) *Radix Galangae minoris*; 8) *Cortex Aurantiorum*; 9) *Cortex Caſcarillae*; 10) *Cortex Canellae albae*; 11) *Herba Maioranae*; 12) *Nux moſchata*; 13) *Radix Zedoariae*; 14) *Radix Zingiberis*; 15) *Radix Calami aromatici*; 16) *Caryophylli aromatici*; 17) *Piperis grana*.

§. 204.

CASSIA LIGNEA; gall. *Caſſe*; germ. *Mutter-Zimmt*. Eſt cortex *Arboris canelliferae Malabaricae* *). Ex Malabaria, Iaua aliisque regionibus orientalibus adfertur. Color rufeſcens eſt, odor debilis, dulcis quaſi, aliquantum aromaticus, ſapor dulcis, acriuſculus, mucilagineus et aliquantum adſtringens. Ex pluribus partibus terreis conſtat, cum acidis et mucilagineis nec non oleoſis et reſinoſis paucis commixtis. Leni irritatione fibram muſcularem ad conſtrictionem inuitat, humores aliquantum mouet, paululum exſiccat, acrimonias inuoluit, fluidum nerueum grate afficit et motum eiusdem nec non ſecretionem aliquantiſper promouet. Mitiſſimum eſt aroma: plerumque aliis demulcentibus, mucilagineis et inuoluentibus eum in finem additur, quo ventriculus et inteſtina minus debilitentur, et ad viuidiorem paulo actionem irritentur, circulusque humorum ſolito paulo magis intendatur,

*) *Laurus* (caſſia) LINN. Spec. p. 528. BLACKW. 391.

tur, neque tamen aeſtus et ſiccitas ſuboriantur vel augeantur. Debilibus, macilentis, hecticis plerumque praeſcribitur. Aliis non nocet quidem, parum vero prodeſt. Nihilominus tamen ob lenem vim aromaticam ptiſanis reſoluentibus, ob viſcidum pituitoſum iners primarum viarum et pectoris et viarum vrinariarum propinandis, corticem laudatum addere, non repugnat.

§. 205.

CORTEX CINNAMOMI *); gall. *Canelle fine*; germ. *Zimmt*. Ex India orientali adfertur. Coloris eſt ex fuſco vel etiam flauo-rubeſcentis, odoris fragrantis, grati, quaſi dulcis, ſaporis acris, dulceſcentis, leniter adſtringentis. Plures ſunt partes terreae, cum acido-mucilagineis, reſinoſis et oleoſis aethereis non adeo paucis, commixtae, quae receptacula pro actiuis illis, odore ſaporeque dignoſcendis, partibus ſiſtunt. Multa cum praecedente communia habet, ſed multo efficacius operatur, magis ſtimulat, magis exſiccat et calefacit, humores magis mouet et neruinum magis eſt. Parantur ex eo *Puluis*, *Infuſum aquoſum*, *Infuſum vinoſum*, *Aquà deſtillata*, *Oleum aethereum*. Cuncta haec pro ſcopo, digeſtionem promouendi, propinari poſſunt. Sed differunt reſpectu actionis, plus minus in corpore perdurantis, aeque ac reſpectu partium actiuarum magis minusue ſeparatarum. Sic *Puluis* reliquis omnibus diutius in corpore commoratur et vtilis eſt, ſi aquoſitas primarum viarum remedium, calefaciens quidem ſed

*) *Laurus* (cinnamomum) LINN. Spec. p. 528. BLACKWELL. 354.

ſed non adeo exaeſtuans, requirit. *Oleum aethereum* paulo breuiores quidem, quam puluis, longiores tamen, quam reliqua praeparata, et diuturnas ſane moras nectit, multoque efficacius operatur. In neruos inprimis vim ſuam exercet, pro ſcopo tamen, digeſtionem promouendi, exhibetur, ſi viſcidum aquoſum copioſum irritabilitatem imminutam et laxitatem inſignem et proinde lentorem totius corporis producit. Quapropter *Elaeoſaccharum* cinnamomi, cum reſoluentibus mixtum, digeſtioni hominum pituitoſorum et aquoſorum egregie opitulatur inque morbis chronicis, pituitoſis, frigidis proficuum eſt. Idem fere praeſtat *Aqua deſtillata* et *Infuſum aquoſum* et *vinoſum*, mitius vero agunt, vinoſum tamen calidum omnino cenſendum, nec niſi in caſu, vbi viſcidum pituitoſum abundans mobile iam eſt, ſalubre habetur. *Aqua* neruinum magis eſt, et cum reſoluentibus, amaricantibus praeſertim, coniuncta egregia carminatiua pituitoſis et frigidis praebet. *Infuſum aquoſum* leniſſimum cenſetur, lenem quidem vim carminatiuam habet, ſed magis pro ſcopo reficiendi, quam digeſtionem promouendi vſurpatur.

§. 206.

SEMEN FOENICVLI VVLGARIS *); gall. *Semence de Fenouil commun*; germ. *Fenchel-Samen*. Planta, ex qua depromitur, indigena eſt. Sunt ſemina parua ſtriata ex flauo cinerea, odoris dulcis, aromatici, ali-

*) *Anethum* (foeniculum) LINN. Spec. p. 377. BLACKWELL. 288.

aliquantum nauſeoſi, ſaporis primo dulcis, poſtmodum amaricantis, acris, aromatici. Ex partibus conſtat terreis, mucilagineo-vnguinoſis, oleoſis aethereis, pinguibus et reſinoſis. In oleoſis aethereis inprimis ſubſtantia dulcis et leniter acris, in mucilagineo-vnguinoſis itidem dulcis, inque reſinoſis acris, amaricans aromatica ſubſtantia latet. Parantur ex hiſce ſeminibus *Aqua deſtillata, Oleum aethereum, Infuſum aquoſum* et *vinoſum* nec non *ſpirituoſum* ſeu ſic dicta *Eſſentia. Aqua deſtillata* lenem applicat fibrae muſculari ſtimulum, diu non inhaerentem, aquoſas partes minuit, humores leniter commouet et digerentes humores aliquantum acriores reddit. Per ſe exhibita multa non praeſtat, aliis tamen adiuncta laudabilia largitur remedia. *Oleum aethereum* acriter ſatis fibram muſcularem irritat, diu in corpore commoratur, humorum motum intendit, aqueas partes diſſipat, oleoſas magis actiuas reddit, et actione abſoluta exſiccationem, cum relaxatione coniunctam, relinquit. Vtile cenſetur, vbi viſcidum pituitoſum iners copioſum, non adeo tenax, primas vias, pectus et vrinarias vias obſidet. Raro per ſe exhibetur; cum ſaccharo tritum et vel cum propria aqua deſtillata vel oxymelle ſcillitico vel cum vino commixtum pectoralia, diuretica et carminatiua remedia dat, quae omnino iuuant, ſi pituita copioſa iners morbis anſam dedit; ſin vero acida acrimonia ſimul adfuerit, non adeo proderunt, ſique bilioſa aut rancida materies inhaeſerit, aut ſiccitas nimia fuerit, nocebunt. *Infuſum aquoſum* leniter ſtimulat, breui per corpus tranſit, partes aquoſas parum conſumit, humores leniter

ter mouet, aliquantum exſiccat inque iisdem morbis, in quibus praecedentia propinantur, locum habet, mitius tamen agit et breui actionem abſoluit. Si ſemina cum aqua decoxeris et decoctum denuo ſeminibus adfuderis, remedium magis actiuum, diutius in corpore commorans, magisque exſiccans parabis, in morbis viſcidis pituitoſis pectoris, inteſtinorum et vrinariarum viarum vtile. *Vinoſum infuſum* calidius multo eſt, acrius ſtimulat, magis exſiccat et prodeſt, ſi ob nimiam aquoſitatem humorum digeſtio languet. Idem de *Eſſentia* dicendum eſt, praeter id, quod calidior ſit, nimiumque exſiccet. Si *Spiritum abſtractitium* paraueris, remedium in morbis neruorum frigidis habebis.

§. 207.

CAFFEA, COFFEA; gall. *Caffé*; germ. *Caffe-Bohnen, Caffe.* Sunt fructus arboris cuiusdam, quae *Bon* *) dicitur. Ex India orientali et America aduehuntur. Variae ſunt ſpecies; optima *Caffea Leuantica* dicitur, et licet aliae ſpecies ex variis regionibus adferantur, eis tamen plerumque nomen *Caffeae Martinicae* imponitur. Verum non ad nomen ſed ad bonitatis notas reſpiciendum eſt. *Caffea bonae indolis* fabas ſiſtit paruas, moderate ponderoſas, ſiccas, virideſcentes et in aqua fundum petentes, odoris non adeo ingrati, inprimis ſi toſtioni ſubiiciuntur, et ſaporis viſcoſi. Quo maiores autem fabae ſunt quoue pallidores eaedem et flaueſcentes, eo viliores cenſebis, praeſertim

*) *Coffea* (arabica) LINN. Spec. p. 241. BLACKW. 337.

ſertim vero eae flocci pendendae ſunt, quae toſtae odorem ingratum, rancidum quaſi, de ſe ſpargunt. Hae fabae ex partibus conſtant terreis compluribus, mucilagineis, oleoſo-reſinoſis aquoſisue. In toſtis fabis partes oleoſo-reſinoſae euolutae magis ſunt, ſed omnino aliquantum immutatae et empyrevmaticae factae. Praeſtat itaque ſemper toſtio lenior, quo partes oleoſo-reſinoſae ſatis extricentur, neque tamen empyrevma adeo concipiant. Paratur ex toſtis fabis et aqua calida *Infuſum* et *Decoctum*. Vtrumque ſtimulum non fortem quidem, ſed diu inhaerentem, fibrae muſculari applicat, oleoſam partem humorum intrat, diu eidem inhaeret terreasque ſuas partes teneriores implicat, motum humorum intendit, aquoſas partes minuit, corpus exſiccat, per ſe quidem calorem non adeo auget, promouet tamen et ad augmentum quidquam facit. In morbis acutis et inflammatoriis, billioſis quibuscunque, atrabilariis nunquam Potus Caffeae vtilis cenſetur, in morbis chronicis tamen, pituitoſis inprimis, aquoſis, acidis, laudem perſaepe meretur, nec niſi abuſus eiusdem nocet. Adeo autem potu caffeae hodie abutuntur, vt vix pro medicamine ab vllis habeatur, cum tamen certiſſimum ſit, eſſe remedium, quod hominibus frigidis, pituitoſis conducat, eorumque digeſtionem promoueat vel corrigat. Nocet ſiccis, macilentis, plethoricis, atrabilariis et, quibus ob oleoſam partem humorum, nimis motam, vel ob viſcidum oleoſum corruptum ataxia ſpirituum eſt. Si tamen expoſcitur, Potum Caffeae, cum lacte commixtum ingeri iubeas, lactis contra admiſtionem frigidis pituitoſis interdicas. Qui haemorrhagiis

rhagiis obnoxii ſunt, ab eo abſtineant, aut raro eo vtantur. Caffeae potus tenuis et colatus ſaturato et non colato praeſtat. Curandum enim eſt, vt partes terreae teneriores, nociuae, vix in ſaturato praecipitandae, ſeparentur. Abuſus potus Caffeae ſemper nocet et ad progeniem vitioſiorem multum tribuit. Si in vſum vocatur Caffea, fabae bonae indolis eligantur; quae enim odore ingrato ſe manifeſtant, ſanitati hominum aduerſantur.

§. 208.

SEMEN CARVI *); gall. *Semence de Carui;* germ. *Kümmel.* Semina haec, quae planta indigena largitur, parua ſunt, oblonga, ſtriata, ex fuſco-flaueſcentia, odoris oleoſi, aromatici, ſaporis amaricantis, acris aromatici. Partes eorum conſtitutiuae ſunt terreae et mucilagineae complures, cum reſinoſis et oleoſis aethereis commixtae. In his et reſinoſis inprimis ſubſtantia amaricans, acris aromatica haeret, mucilagineis parum virtutis ineſt. Vſurpantur inprimis in *Infuſo* et *Decocto*, quod vel cum aqua vel cereuiſia paratur. Lenem ſed diu inhaerentem ſtimulum fibrae muſculari applicat, oleoſas humorum partes auget, et magis actiuas reddit, aquoſas conſumit, motum humorum intendit et auctum diu conſeruat, et ſiccitatem infert. Vſum itaque habet in morbis primarum viarum frigidis: calorem enim excitando et digerentes humores acres reddendo digeſtioni, ob laxitatem et aquoſam et pituitoſam et acidam humorum indolem laeſae, opitulatur,

*) *Carum* (carui) LINN. Spec. 365. BLACKW. 529.

latur, ſaepeque torminibus, ab eadem cauſa excitatis, euacuantibus praemiſſis, medetur.

§. 209.

RADIX HELENII, ENVLAE *); gall. *Racine d'Aunée;* germ. *Alantwurzel.* Radix haec digitum ſaepe et vltra craſſa eſt, coloris ex fuſco flaueſcentis, intus ex albo luteſcentis, odoris fortis, quodammodo nauſeoſi, oleoſo-balſamici, ſaporis acris, amari. Copioſas partes terreas cum vnguinoſo-mucilagineis et gummoſis et reſinoſis pauciſſimisque oleoſis ſubtilibus, fere camphoratis coniunctas, fouet. Paratur ex ea *Infuſum* et *Decoctum* et *Extractum aquoſum, Infuſum vinoſum* et *Vinum* ſic dictum *enulatum.* Fibram muſcularem non adeo leniter ſtimulant haec praeparata, humores mouent, aquoſas partes minuunt et digeſtionem promouent. *Infuſum, Decoctum* et *Extractum* aquoſum ad reſoluendum viſcidum pituitoſum, tenax adeo, quidquam faciunt, inprimis ſi reſoluentia ſalina addantur. Hinc ea in morbis primarum viarum viſcidis, vbi viſcera digeſtioni dicata, materie pituitoſa infarcta ſunt et inteſtina viſcido plena, egregie conducunt. Inde autem explicandum eſt, cur hypochondriacos nonnullos iuuet helenii radix. *Infuſum vinoſum* et *Vinum enulatum,* per confermentationem paratum, praecedentibus fortius ſtimulant, magis calefaciunt, magiſque exſiccant, et iuuant, vbi frigidus et aquoſus primarum viarum ſtatus deprehenditur, aut vbi mobilis pituita ineſt, inprimis ſi euacuantia vel praemittantur vel interponantur.

§. 210.

*) *Inula* (Helenium) LINN. Spec. p. 1236. BLACKW. 473.

§. 210.

RADIX GALANGAE MINORIS *); gall. *Petit Galanga;* germ. *Kleiner Galgant.* Radix haec, quae ex India orientali adfertur, tuberoſa eſt, externe ex rubro-fuſca, interne ex fuſco-alba, odoris mixti baſamico-aromatici, ſaporis acris, amaricantis, aromatici. Componitur ex partibus terreis et gummoſo-mucilagineis compluribus, quibuscum reſinoſae et paucae oleoſae aethereae commixtae ſunt. Alii camphoratam quoque ſubſtantiam in ea ſe reperiſſe, dicunt. In omnibus iſtis partibus actiuae illae acres amaricantes, aromaticae ſubſtantiae latent, efficaciores tamen magiſque concentratae in reſinoſis et oleoſis ſunt. In ſubſtantia, ſcilicet in *Puluere*, vſurpata iſta radix ſtimulum ſat acrem, diuque inhaerentem, fibrae muſculari applicat, humorum motum intendit, oleoſas eorum partes acriores reddit, aquoſas conſumit ideoque calefacit et exſiccat. Vſum habet in morbis chronicis viſcidis, pituitoſis, aquoſis, acidis, inprimis ſi ab eiuſmodi cauſa digeſtio laeditur; vnitus tunc cum tartaro vitriolato Galangae Puluis bonam opem fert. Si materies viſcida magis mobilis, magis aquoſa nec adeo tenax eſt, et tamen ſolida ſtimulum, ſat acrem, neque adeo diu inhaerentem expoſtulant, *Infuſum* cum decocto aquoſo mixtum vtile eſt. Eaſdem enim vires habet, quam puluis, ſed remiſſius eſt et actionem breviori multo tempore abſoluit. Si tamen ſtimulus fortior, et vis calidior requiritur *Infuſum vinoſum* eligendum

*) *Kaempferia* (galanga) LINN. Spec. p. 3. RVMPH. l. c. T. V. tab. 69. fig. 2.

dum eſt. Valet hoc, vbi, viſcido euacuato, mera tantum aquoſa colluuies digeſtionem laeſam vel circulum humorum languidum produxit. Hinc in plurimis morbis chronicis, e. g. obſtructione menſium, vertigine aliisque frigidis neruorum morbis haud raro iuuat.

§. 211.

CORTICES AVRANTIORVM; gall. *Ecorce d'Orange;* germ. *Pomeranzen-Schaalen.* Cortices ex fructu depromuntur Mali Aurantiae *). Adferuntur ex Italia, Hiſpania aliiſque calidioribus prouinciis. Ex luteo flaveſcentem colorem habent. Odor eorum mixtus balſamico-aromaticus et gratus eſt; ſapor acris, amarus, aromaticus. Conſtant iſti Cortices ex partibus terreo-mucilagineis, cum reſinoſis et oleoſis aethereis coniunctis. In omnibus Subſtantia amara eſt, magis tamen concentrata in reſinoſis et oleoſis aethereis haeret, in quibus praeterea Subſtantia acris et balſamico-aromatica recluditur. Subſtantiam albam pulpoſam a flaua ſeparant, tuncque flauedinem vocant. Vſurpantur vel in *Puluere* vel parantur ex iis *Aqua deſtillata, Oleum aethereum, Extractum, Eſſentia,* et *Infuſum aquoſum* et *vinoſum.* Omnibus ineſt vis ſtimulans neruina analeptica, calefaciens, exſiccans et antiputrida; quae tamen vires in aliis mitiores, in aliis eminentiores ſunt. *Puluis* inprimis in morbis digeſtionis vtilis eſt, et iuuat, ſi viſcidum pituitoſum aquoſum vel iners, vel cum acida acri-

*) *Citrus* (aurantium) LINN. Spec. p. 1100. BLACKWELL. 349.

acrimonia coniunctum, laxitatem inteſtinorum produxit, vimque humorum digerentium debilitauit, ſique remedium, diu in corpore moras nectens, requiritur. *Aqua deſtillata* leniter exſiccat, lenemque, breui durantem, ſtimulum inteſtinorum fibris applicat et plerumque cum aliis, amaris inprimis, remediis, digeſtionem promoventibus, praeſcribitur. *Oleum aethereum* fortiter fibram muſcularem afficit, diu ſatis in corpore commoratur, humores mouet, oleoſas eorum partes acriores reddit, aquoſas expellit inque morbis proficuum eſt, vbi lentor tum in ſanguine tum in fluido nerueo a nimia aquoſa colluuie et laxitate productus fuit. *Eſſentia* ſtimulat, exſiccat, humores mouet et calefacit, et prodeſt in pituitoſis et aquoſis inteſtinorum morbis. *Extractum* lenem, neque diu inhaerentem, ſtimulum applicat, modice exſiccat, acidos liquores digerentes corrigit, inque morbis laxis et pituitoſis acidis egregium vſum habet. Idem dicendum eſt de *Infuſo aquoſo*, praeter id, quod neruinam vim habeat citiuſque actionem abſoluat et quodammodo calidius ſit. *Vinoſum* denique *Infuſum* calidum, exſiccans, ſtimulans et neruinum cenſetur, inque morbis frigidis, fere aquoſis, vtile putatur, et exhibetur, ſi ſtimulo opus eſt, quo nerui et ſanguinis circulus moueantur. Laxa, pituitoſa, frigida corpora ſemper iuuat, bilioſis, ſiccis, calidis nocet. Vtere crebro remediis, ex corticibus aurantiorum paratis, effectus eorum cognoſces, virtutes laudabis.

§. 212.

§. 212.

CORTEX CASCARILLAE *); gall. *Chacarille*; germ. *Chagrillenrinde*. Ex America adfertur. Eſt cortex coloris foris ex cinereo fuſci, intus ex fuſco rubeſcentis, odoris mixti aromatico-balſamici, ſaporis amari, acris, aromatici. Conſtat ex partibus terreis et gummoſo-mucilagineis compluribus, et reſinoſis cum oleoſis aethereis coniunctis. In terreis et gummoſo-mucilagineis Subſtantia inprimis amara, in reſinoſis vero et oleoſis aethereis acris aromatica haeret. Vſurpatur vel in *Puluere*, vel parantur ex eo *Infuſum aquoſum* et *vinoſum*, *Eſſentia* et *Extractum*. Diu in corpore commoratur *Puluis*, idemque fibram muſcularem ſtimulo ſat forti, diu durante, ſollicitat, fluidas partes, inprimis oleoſas expandit et mouet, aquoſas diſſipat, omnes denique humores figit et denſat, hinc calefacit, exſiccat et roborat. Prodeſt in morbis chronicis, et in iis quidem, qui ab inſigni laxitate ſolidorum et aquoſa humorum colluuie proueniunt. Si viſcoſi adhuc ſunt humores, per ſe vix prodeſt, ſalibus tamen aut aliis reſoluentibus vnitus et viſciditati pituitoſae et laxitati medetur, tuncque in digeſtione, ob viſcidum pituitoſum aquoſum et laxitatem laeſa, auxilium fert. Citius actionem abſoluit *Infuſum vinoſum*, eaſdem fere vires habet, magis tamen calidum eſt, fortius intendit humorum motum, exſiccat valde neruiſque amicum eſt. Vſum habet, vbi laxitas inſignis et mera duntaxat aquoſa colluuies obque hanc

*) *Croton* (caſcarilla) LINN. Spec. p. 1425. BLACKWELL. 576.

hanc cauſam lentor tum in ſanguine tum in neruis inſignis eſt et digeſtio languet. Idem de *Eſſentia* valet, quae vero calidior adhuc magisque exſiccans eſt; reſolventibus addita vim eorum relaxantem et debilitantem egregie corrigit, tuncque in morbis iſtis viſcidis locum habet. Remiſſius agunt *Infuſum aquoſum* et *Extractum*, hinc debilioribus qui fortem ſtimulum valdeque calida remedia non ferunt, conducunt; exſiccant tamen et calefaciunt. Caue ſemper, ne Caſcarillae praeparatis vtaris, vbi obſtructio, aut febris, aut calor depaſcens, aut ſiccitas eſt. Nocet calidis, ſiccis, bilioſis, macilentis; iuuat laxa, aquoſa, pituitoſa, acido plena. An recte faciunt, qui Caſcarillam putredini opponunt? cauſas putredinis diſquiras, ipſam putredinem perpendas, corticis praeparationes compares: iuuabit certe, ſi abſque febre, a ſolo lentore humorum orta fuit, lenta ob id dicenda, putredo. Tentabis caute, ſi febris praegreſſa fuerit; ſique reſolutio vniuerſalis et putredo vel in parte vel in toto corpore eſt, corticem eiuſque praeparata abſque aliis remediis vix propinabis.

§. 213.

CORTEX CANELLAE ALBAE; COSTI CORTICOSI *); gall. *Canelle blanche;* germ *Weiſser Zimmt.* Cortex hic, qui ex America adfertur, externe et interne ex albo flaueſcit, odoris eſt balſamico-aromatici, saporis acris, amaricantis, aromatici. Partes eius conſtitutiuae ſunt terreae et gummoſo-mucilagineae, reſinoſis

*) *Winterania* (canella) LINN. Spec. 636. BLACKWELL. 206.

noſis et oleoſis aethereis largius immixtae. Vtimur vel *Puluere* eiuſdem vel *Infuſo aquoſo* vel *vinoſo.* Puluis diu in corpore commoratur, acriter fibram muſcularem ſtimulat, oleoſas humorum partes acriores reddit, aquoſas valde diſſipat, humorum motum intendit, auctumque diu conſeruat, et, actione abſoluta, denſitatem humorum partiumque ſiccitatem relinquit. Vſus eſt in morbis chronicis frigidis, aquoſis, vbi ſolida valde laxa inſignem diuque inhaerentem ſtimulum expoſtulant, viſcidumque pituitoſum, mobile iam et attenuatum, eſt. Si cum ſalibus mediis coniunxeris, remedia obtinebis, in illis etiam morbis proficua, vbi viſcidum pituitoſum, nondum attenuatum, copioſum tamen, et vaſis adhuc impactum haeret. *Infuſum vinoſum* calidius eſt magisque exſiccans et ſtimulans, breuiori tamen tempore actionem abſoluit et vtile cenſetur, ſi mera tantum aquoſa humorum colluuies laxitatem et lentorem inſignem producit, tuncque etiam neruinum non ſpernendum praebet remedium. *Infuſum aquoſum* praecedentibus multo mitius eſt, ſtimulat tamen, humores mouet, exſiccat corpus et calefacit; hinc etiam in morbis tantum pituitoſis et aquoſis acidisue conducit, et ob mitiorem vim ſaepe locum habet, vbi bina priora vix tuto propinantur. Omnibus etiam antiputrida vis ineſt, in lenta inprimis et humida putredine laudanda. Acetum infundere vel etiam acidum vitrioli dilutum cum Puluere canellae albae digerere inque diſſolutione humorum putrida acida haec aromatica propinare, non poenitebit.

§. 214.

§. 214.

HERBA MAIORANAE *); gall. *Marjolaine;* germ. *Maioran.* Odorem de ſe ſpargit fortem aromatico-balſamicum, ſaporem habet acrem, amaricantem, quodammodo nauſeoſum, oleoſo-aromaticum. Praeter complures terreas partes, gummoſo-mucilagineae, reſinoſae et oleoſae ſubtiliores inſunt, et camphorata etiam ſubſtantia ineſſe dicitur. Paratur inprimis *Infuſum vinoſum,* plerumque autem cibis in ſubſtantia additur. Stimulum lenem, ſed breui non durantem, fibrae muſculari applicat, oleoſas partes humorum non quidem adeo exaltat, ſed auget et mouet, motumque humorum, paulo intenſum, ſeruat, hinc corpus exſiccat et calefacit, et ad ſubigendum viſcidum pituitoſum aquoſum nec non imminuendam aquoſitatem humorum quidquam confert. Hinc in morbis viſcidis primarum viarum cibis optime adiicitur, hinc frigidis pituitoſis, aquoſis ſemper conuenit, non aeque ſiccis,illioſis, atrabilariis, quibus plerumque incommoda parit. *Infuſum vinoſum* calidius eſt et iuuat, ſi mera aquoſitas humorum et lentor digeſtionem turbat.

§. 215.

NVX MOSCHATA *); gall. *Muſcade;* germ. *Muſcatennuſs.* Ex India orientali adfertur. Eſt nucleus rotundus aut oblongus, nucem iuglandem magnitudine aequans,

*) *Origanum* (maiorana) LINN. Spec. p. 828. BLACKWELL. 319.

**) Claſſis naturalis ignota eſt. Fig. vid. apud BLACKWELL. 353.

aequans, qui putamine duriore et pulpa molli includitur. Color externus ex fuſco cinereus eſt, internus ex fuſco-rubeſcens; odor oleoſo-balſamicus, ſapor acriuſculus, amaricans, balſamicus, ſubadſtringens. Componitur ex partibus mucilagineo-terreis, quibuſcum oleoſae et reſinoſae coniunctae ſunt. In mucilagineo-terreis ſubſtantia inprimis ſubadſtringens eſt; amicarans autem reſinoſis et oleoſis ineſt, hiſque inprimis balſamica inhaeret. Propinatur vel in *Subſtantia* vel uſurpatur *Oleum* ſic dictum *expreſſum* vel *Oleum aethereum*. *Raſpata Nux*, interne in vſum ducta, diu in primis viis commoratur, fibram ſolidam leni, ſed diu perdurante, irritatione afficit, oleoſas partes auget, magis actiuas reddit ſenſimque motas diu in motu conſeruat, aquoſas partes diſſipat, partim etiam lentiores reddit, acidos humores et putridos quoque corrigit, et, actione abſoluta, ſiccitatem et calorem ſimulque partes roboratas relinquit. Vſus inprimis eſt in morbis inteſtinorum frigidis, vbi nimirum ob meram aquoſitatem debilis liquorum digerentium vis eſt, et, ob continuum fere humorum aquoſorum affluxum et inſignem inteſtinorum laxitatem, digeſtio languida et crebriores alui deiectiones obſeruantur. Si raſpata nux aqua calida irroratur tuncque prelo ſubiicitur, ſubſtantia mollis, leni colore diffluens, obtinetur, quae *Oleum nuciſtae expreſſum* ſeu *Corpus pro balſamo* vocatur. Huic inprimis vis exſiccans, calefaciens, et antiputrida ineſt. Si ſubſtantia haec cum tinctura quadam alcalina acri per longam ſatis triturationem coniungitur, in aqua ſolubilis fit, tuncque remedium ſiſtit, ad abſtergenda et depuranda vlcera interna maxime

maxime proficuum. Externe per ſe abdomini illitum in morbis inteſtinorum frigidis non ſpernendum eſt. *Oleum deſtillatum aethereum* praecedentibus multo calidius eſt, magis ſtimulat et diu ſatis in corpore commoratur. Cum Saccharo bene tritum et vino mixtum ad reſtituendam digeſtionem, ob nimiam aquoſitatem humorum, vel etiam pituitam minime tenacem et laxitatem inteſtinorum, debilitatam, multum confert. Cum aliis etiam remediis neruinis non ſolum, ſed etiam antiputridis, coniunctum, medicamina in frigidis neruorum vitiis, aliisque etiam aquoſis et pituitoſis morbis et lenta putredine ſuborta, vſurpanda largitur. Semper proſunt dicta medicamenta laxis, pituitoſis, frigidis, nunquam ſiccis, bilioſis aut febre laborantibus.

§. 216.

RADIX ZEDOARIAE *); gall. *Zedoire*; germ. *Zittwerwurz*. Radix haec, quae ex India orientali adfertur, longa eſt et tuberoſa, digitum plerumque craſſa, foris gryſea, intus albeſcens. Odorem habet balſamicum, caput quodammodo grauantem, camphoratum quaſi, ſaporem vero acrem, amaricantem, balſamicum. Ex partibus conſtat terreis, gummoſo-mucilagineis, reſinoſis et oleoſis aethereis. Camphoratam etiam ineſſe ſubſtantiam, perhibent. Vſurpatur vel *Puluis Zedoariae* vel *Infuſum vinoſum* vel *Infuſum aquoſum* et ſaepe alia infuſa compoſita ingreditur. Omni-

*) *Kaempferia* (rotunda) LINN. Spec. p. 3. BLACKWELL. 399.

Omnibus his calida vis ſtimulans, exſiccans et antiſpaſmodica ineſt. *Puluis Zedoariae* in morbis inteſtinorum frigidis, aquoſo-pituitoſis inprimis, vtilis eſt. Diu in inteſtinis commoratur et vermibus ſaepe aduerſatur. Eandem fere vim habet *Infuſum vinoſum*, calidius tamen eſt, magis neruinum, citoque ſatis ad ſecundas vias transfertur, tuncque vtile iudicatur, ſi, ob abundantiam ſanguinis aquoſi et laxitatem ſolidorum, lentor humorum et torpor quoque in ſyſtemate neruoſo obſeruatur. Meabilitas tamen vaſorum adſit, neceſſe eſt. Lenius multo eſt *Infuſum aquoſum*, ad morbos ſpaſmodicos, a cauſa frigida et laxitate ſolidorum ortos, proficuum. Cuncta tamen haecce remedia requirunt, vt ſolida ſtimulum ferre queant, neque ad rupturam procliuia ſint. Proſunt aquoſis, frigidis; nocent ſiccis, calidis, bilioſis.

§. 217.

RADIX ZINGIBERIS *); gall. *Gingembre*; germ. *Ingwer*. Radix haec, quae ex India vtraque adfertur, coloris eſt vel albicantis vel ex albo luteſcentis, odoris aromatici, acris quaſi, ſaporis primo dulceſcentis, poſteaque acris, feruidi. Ex partibus conſtat tertis, poſteaque acris, feruidi. Ex partibus conſtat terreis compluribus, quibuscum reſinoſae et oleoſae aethereae coniunctae ſunt. Vſum culinarem plerumque habet, optimo tamen cum ſucceſſu Infuſa medicata ingreditur, vel ex ea ſola *Infuſum aquoſum* et *vinoſum* paratur. *Puluis Zingiberis* admodum diu inprimis viis

*) *Amomum* (Zingiber) LINN. Spec. p. I. BLACKWELL 402.

viis commoratur, ſtimulum valde acrem, diu inhaerentem, fibris applicat, aquoſas partes diſſipat, oleo as acriores reddit, hinc exſiccat et languidam digeſtionem excitat. Conducit in morbis viſcidis primarum viarum, aliisque etiam, vbi ſtimulo acri, calido exſiccante, opus eſt. *Infuſum vinoſum* calidius eſt, citius tamen per primas vias tranſit, interim per aliquot tempus ibi commoratur et vtile cenſetur, ſi digeſtio ob laxitatem tantum et viſcidum aquoſo-pituitoſum languet. Raro per ſe propinatur, ſed aliis iunctum. *Infuſum aquoſum* leniſſimum eſt, attamen calidum quoque et exſiccans lene. Subſtantiam dulcem paucamque acris ſubſtantiae portionem continet, hinc parum in primis viis praeſtat, forte ad morbos renum pituitoſos vtile.

§. 218.

RADIX CALAMI AROMATICI, ACORI VERI *); gall. *Racine de Calamus aromaticus;* germ. *Calmus.* Radix haec, quae ex planta indigena obtinetur, longa, pollicem et vltra ſaepe craſſa eſt, externe coloris fuſci, interne ex albo-gryſei, odoris aromatici, ſaporis acris, amaricantis. Siccata ex pluribus conſtat partibus terreis, cum gummoſo-mucilagineis et reſinoſis coniunctis. Raro *Puluis* ejusdem interne propinatur, licet in morbis frigidis, aquoſo-pituitoſis inprimis, ſi digeſtio ob hanc cauſam languet, cum fructu exhiberi poſſet. *Infuſum vinoſum* calidum, exſiccans et acre ſtimulans remedium eſt, inque languida praecipue digeſtione

*) *Acorus* (verus) LINN. Spec. p. 465. BLACKW. 338.

geſtione proficuum. *Infuſum aquoſum* lenius eſt et ad morbos, vbi ſanguis aquoſus et aquoſo-pituitoſus languide circumducitur, vtile. Siccis macilentis, blioſis nocet; laxa, pituitoſa iuuat.

§. 219.

CARYOPHYLLI AROMATICI *); gall. *Girofles, Clous de Girofles*; germ. *Würz-Nelken.* Ex India orientali adferuntur. Sunt calices florum exſiccati, odoris penetrantis, acris quaſi, aromatici, ſaporis amaricantis, acerrimi, aromatici. Ex partibus componuntur terreis, reſinoſis et oleoſis, quae tum per expreſſionem tum per deſtillationem obtinentur. In his et reſinoſis virtus praecipua latet. *Puluere* interdum vtimur; parantur etiam ex iis *Aqua deſtillata, Infuſum aquoſum* et *vinoſum*, denique *Eſſentia ſpirituoſa.* Cuncta haec praeparata igneum quaſi ſtimulum fibrae muſculari applicant, partes aquoſas copioſiſſimas conſumunt, oleoſas acriores reddunt et expandunt, humores et neruos commouent et inſignem ſiccitatem inducunt. Pituitoſa tantum, aquoſa et laxa iuuant corpora; ſiccioribus, macilentis, calidis, bilioſis nocent. Proſunt in morbis frigidiſſimis; nocent, vbi ſuſpicio vel minimi caloris praeternaturalis eſt, ad minimum caute ea tenenda ſunt. *Puluis* raro per ſe in vſum ducitur et plerumque cibis viſcidis ad bene digerendos eos adiicitur. *Aqua deſtillata* neruinam vim habet et aliis plerumque additur. *Infuſum aquoſum* vix adeo in vſu eſt, in viſci-

*) *Caryophillus* (aromaticus) LINN. *Spec.* p. 735. BLACKWELL. 336.

viſcidis tamen et aquoſis primarum viarum morbis, digerentes liquores acriores reddendo et laxitatem corrigendo, digeſtionem promouet. Magis id praeſtat *Infuſum vinoſum*, neceſſe tamen eſt, vt ſolida ſtimulum acriorem ferant, calor vel minimus abſit et aquoſa tantum humorum colluuies obſeruetur. *Oleum aethereum*, cum ſaccharo tritum, cumque aliis remediis, amaricantibus inprimis, mixtum, in morbis, vbi frigus perpetuum, viſciditas inſignis, lentorque per totum corpus regnat et ſtimulo acri opus eſt, plurimum omnino fert auxilium. Idem oleum, per ſe vſurpatum, in carie, humida inprimis, oſſium dentiumque laudatur. *Eſſentia* interne rariſſime vſurpari poterit, externe vero in ſphacelo humido non ſpernenda eſt.

§. 220.

PIPER NIGRVM, GRANA PIPERIS *); gall. *Poivre noir*; germ. *Pfeffer-Koerner*. Grana haec ex India orientali adferuntur. Color eorum externus niger, internus albus eſt, odor in contuſis quaſi mordax, ſapor acerrimus igneusue. Ex pluribus conſtant partibus mucilagineo-terreis, quibuscum oleoſae aethereae, non adeo acres, reſinoſae vero acerrimae coniunctae ſunt. In medicina vix vſurpantur, in culinis autem cibis, tum viſcidis tum etiam valde aquoſis refrigerantibus, adiiciuntur, et ſaepe multum iuuant, ſiquidem non ſolum vires digerentes ad agendum aptiores fiunt, ſed etiam calor naturalis, ad plurima adeo in ventri-

*) *Piper* (nigrum) LINN. Spec. p. 40. BLACKW. 348.

ventriculo neceſſarius, conſeruatur. Caue tamen, ne macilentis, calidis, ſiccis, bilioſis absque cautione concedas. Grana piperis, craſſiuſcule contuſa, melius conuenire quam ſubtiliſſime comminuta, experientia docet.

§. 221.

Praeter haec alia carminatiuis adnumerantur, e. g. 1) *Radix Ari exſiccata*, quae vero reſoluentem et ſtimulantem vim exercet. 2) *Radix Cyperi longi*; 3) *Radix Cyperi rotundi* cum Galangae radice multum conueniunt. 4) *Semina Ameos*; 5) *Semina Amomi*; 6) *Caſſia Caryophyllata*; 7) *Cortex Culilawan*; 8) *Anthophylli* conuenientiam aliquam cum Caryophyllis aromaticis alunt, ſed mitiorem longe effectum edunt. 9) *Semina Coriandri*; 10) *Semina Cumini*; 11) *Cardamomum minus*; 12) *Cubebae* eodem modo vt Semen Carui in frigidis affectionibus ventriculi et inteſtinorum vtilia ſunt. 13) *Grana Paradiſi* cum pipere conueniunt, ſed mitiora ſunt. 14) *Cortex Winteranus* cortice Canellae albae paulo remiſſius agit. 15) *Cortex Citri* cum Aurantiorum corticibus conuenit, quodammodo tamen acrior et calidior eſt. 16) *Vaniglia* leniſſimum aroma ſiſtit, quo ſic dictae Chocolatae indoles nimis refrigerans et relaxans corrigitur, neque tamen eo ipſo calefaciens nimis vis communicatur. 17) *Simarubae* demum *Cortex*, qui ſaporem amarum, cum adſtringente coniunctum, habet, nec omni acredine deſtitutus, ceu tonicum et carminatiuum poſt diuturnos alui fluxus propinatur; cum vero vomitum interdum

terdum et alui deiectiones excitaſſe dicatur, dicti corticis drachmas duas in libris duabus decoqui iubent, ſicque eum effectu laudabili non deſtitui perhibent. Plura caeteroquin laudantur remedia, tum ſimplicia tum compoſita inprimis Tincturae, Eſſentiae, Spiritus, Aquae et alia, quae certe vel ad normam eorum, quae expoſuimus, diiudicari facile poſſunt, vel attentionem noſtram non merentur.

SECTIO II.

Medicamenta, quae in ſanguinem agunt.

§. 222.

Medicamenta non ſolum in ſolida ſed et in fluida et fere ſemper in vtraque ſimul agere, ſupra §. 14. monuimus. Hinc diſtinctio in remedia, quae ſolida afficiunt, et ea, quae in fluida agunt, non ſatis accurata vel ſaltem ſuperflua forte videbitur. Cum vero in curandis morbis cauſisque eorum infringendis magis interdum ad ſolida, interdum ad fluida magis, reſpiciant medentes, nobis autem animus ſit, doctrinam de materie medica ita pertractare, vt vſui therapevtico inſeruiat, memorata diſtinctio valet. Reſtat itaque, vt, cum de medicamentorum efficacia in ſolida egerimus, nunc medicamenta, in fluida agentia, conſideremus. Monemus autem, medicamenta hic praecipue conſiderari, quae in omnia fluida, nerueo tantum excepto, agant. Cum enim ad effectus praecipuos et manifeſtos nobis reſpiciendum ſit, et remedia dentur, quorum actio in

neruis inprimis conſpicua fiat, remediorum neruinorum doctrinam in peculiari ſectione conſiderandam eſſe, conſultum ducimus.

§. 223.

Si in fluida agunt medicamenta, vel fluiditatem eorum minuunt, vel augent eandem et reſtituunt, vel demum indolem mutant. Quapropter primo de *Incraſſantibus*, dein de *Attenuantibus*, tandem de *Immutantibus* agimus. Cuncta haec et in ſolida agunt, et nonnulla eorum etiam neruos afficiunt. Neceſſe igitur eſt, vt nonnulla iterum, de quibus in praecedenti ſectione iam egimus, ob attendendos effectus in fluidis hic quoque conſideremus eorumque genuinum vſum exponamus. Praeterea vero ea quoque, de quibus in ſequenti ſectione dicetur, in anteceſſum contemplabimur, ita tamen, vt ea, quae ad neruos pertinent, inque vſum therapiae, reſpectu indicationis neruinae, conuertenda ſunt, ratione effectuum, in fluidis obſeruandorum, hic quoque pertractemus.

CAPVT I.

Incraſſantia.

§. 224.

Incraſſantia remedia nominamus, quae ſoliditatem et cohaeſionem partium, humores et inprimis ſanguinem conſtituentium, augendo fluiditatem humorum minuunt. Duplici modo ea agunt, alia globulos ſanguinis integros inuiſcant et cohaeſionem in aggregatione

ne augent, ſicque ſanguinem ſpiſſum reddunt, alia autem ipſos globulos penetrant, eorumque partes conſtituentes arctius connectunt ſicque denſitatem ſanguinis et, fluidiores partes figendo, totius inſimul maſſae, in aggregatione conſtitutae, cohaeſionem augent. Hinc incraſſantia cuncta in *Inſpiſſantia* et *Condenſantia* diuidenda eſſe, ſequitur.

DIVISIO I.

Inſpiſſantia.

§. 225.

Inſpiſſantia remedia ſanguinem ſpiſſum §. 224. reddunt, neque denſitatem eius augent. Sanguinis enim globuli, rite condenſati, partibus, incraſſans remedium conſtituentibus, minores multo ſunt, ideoque, tum per ſe tum in aggregatione conſtituti, minora interſtitia quam incraſſantis partes habent. Quodſi igitur partes incraſſantis remedii cum ſanguine coniunguntur, complures eiusdem globuli a ſe inuicem ſeparantur, hinc ſanguis, in aggregatione conſideratus ob id, quod ſubſtantiae craſſiores et poroſiores interponantur, minus denſus euadit. Sique praeterea partes incraſſantis remedii abundant, diuque maſſae ſanguineae inhaerent, ſenſim quoque cum ipſis partibus, globulos ſanguinis conſtituentibus, coniunguntur ſicque ſanguinis etiam denſitas quoad mixtionem imminuitur. Hinc totius quidem maſſae ſanguineae volumen augetur, ſed denſitas eiusdem eo magis decreſcit, quo plures partes incraſ-

ſantis remedii inducuntur, quoue diutius eae ſanguini inhaerent.

§. 226.

Cum porro incraſſantis remedii partes parum actiuae, lentae et tenaces ſint, ideoque minus irritantes ſimulque ob laxam cohaeſionem ſubſtantiis agentibus facile cedant, ſanguinis etiam vis irritans ob duplicem iſtam cauſam, ab inhaerentibus remedii incraſſantis particulis dependentem, multum imminuitur. Quapropter tum ob imminutam vim irritantem, tum etiam ob id, quod ob inuiſcantem partium incraſſantis remedii tenacitatem ſanguis, in aggregatione conſtitutus, tenacius cohaereat, fluiditas non ſolum ſed etiam motus eiusdem multum imminuitur. Cumque praeterea gluten, ſolidas partes corporis humani nectens, ab iſtis illis remediis laxius §. 118. fiat, ſolida non ſolum laxa euadunt, ſed etiam irritabilis eorundem natura imminuitur, ideoque motus humorum, in genere conſideratus, eo lentior fit, quo magis irritabilitas decreſcit, quoue magis ambae cauſae mixtae ſimul operantur. Inter inſpiſſantia remedia, quae prae aliis cum fructu vſurpari poſſunt 1) *Radix Graminis;* 2) *Radix Scorzonerae;* 3) *Radix Althaeae;* 4) *Decocta ſeminum cerealium* tum integrorum tum excorticatorum eorundemque *Farinae;* 5) *Gummi Arabicum;* 6) *Gluten animalium* eminent.

§. 227.

RADIX GRAMINIS ARVENSIS *); gall. *Racine*

*) *Triticum* (repens) LINN. Spec. 128. BLACKW. 537.

cine de Chien-dent; germ *Queckenwurzel.* Radix haec indigena tenuis eſt, longa, aliquot lineas craſſa, odoris nullius, ſaporis mucilaginei, dulceſcentis. Ex partibus conſtat terreis, quibuscum partes mucilagineae teneriores, paucam ſubſtantiam dulceſcentem continentes, coniunguntur. Paratur ex hac radice *Decoctum aquoſum,* quod nullam vim irritantem habet, acres humorum particulas inuoluit, glutinoſam eorum partem imminutam aliquantum reſtituit, nimis tenacem factam tenuiorem reddit, ideoque interdum ad nutritionem praeſtandam et ad compeſcendum motum et imminuendum calorem quidquam confert. Vſum habet tum in morbis chronicis, tum etiam acutis: in his prodeſt, vbi ſiccitas et denſitas humorum nimia et corpus leniſſime nutriendum eſt; in illis vero conducit, vbi ob tenaces et acres humores tenue nutrimentum et demulcens remedium requiritur, vel etiam vbi viſcidum tenax tenuius reddi debet. Raro per ſe vſurpatur, ſed cum aliis ſimul coniunctum praeſcribitur.

§. 228.

Cum hoc fere conuenit *Decoctum aquoſum* SEMINVM CEREALIVM INTEGRORVM §. 153. ad §. 156 uſque praeter id, quod ſubſtantiam glutinoſam tenuiorem contineat, ideoque facilius ſubigatur. Craſſiorem ſubſtantiam glutinoſam continet *Decoctum* SCORZONERAE §. 160 multo craſſiorem adhuc *Decocta* SEMINVM CEREALIVM EXCORTICATORVM; hanc ſuperat *Mucilago* RADICIS ALTHAEAE §. 126. craſſiſſima demum ex *Farinis* SEMINVM CEREA-

REA-

REALIVM obtinetur. Omnia haecce decocta denſitatem humorum nimiam minuunt, tenuitatem corrigunt, humores ſemper ſpiſſos reddunt, ſemper humorum motum compeſcunt. In morbis acutis et inflammatoriis, ſi nimia ſiccitas nimiaque denſitas vrget, praeſtant *Decocta ſeminum cerealium non excorticatorum* vel etiam *Decoctum Scorzonerae*. Eadem quoque in morbis chronicis valent, et in iis quidem, vbi tenuitas humorum nimia debilitatem vniuerſalem et nutritionis defectum produxit. Sin vero ob tenuitatem humorum nimiam alui fluxus copioſi et continui vires fere exhauriunt, *Decocta ſeminum cerealium excorticatorum* et *Radicis Althaeae* et *Farinae cerealium* bono cum ſucceſſu propinantur.

§. 229.

GVMMI ARABICVM; gall. *Gomme Arabique;* germ. *Arabiſches Gummi.* Ex Africa adfertur, vbi ex arbore quadam, *Acacia* *) dicta, exſtillat. Mera eſt ſubſtantia gummoſa, coloris ex luteo-albidi, pellucidi, ſaporis glutinoſi, odoris nullius. Humores inſigniter inſpiſſat et inuiſcat, nec vnquam niſi in morbis chronicis et iis quidem vſum habet, vbi inſignis tenuitas humorum alui fluxus continuos reddit, et alia incraſſantia fruſtra tentata fuerunt. Prodeſt inprimis in dyſenteria maligna, vt tamen euacuantia praemittantur. Si vel minima ſuſpicio viſcidi adeſt, nocet.

*) *Mimoſa* (ſenegal) LINN. ſpec. 1506. PROSP. ALPIN. Plant. Aegypt. Patav. 1640. p. 9.

§. 230.

GLVTEN ANIMALIVM; gall. *Colle, Cole;* germ. *Leim.* Ex partibus tenacioribus ligamentoſis et membranoſis coctione et inſpiſſatione paratum indolem tenaciſſimam habet, aqua dilutum facile putreſcit et raro in medicina vſurpatur, interdum tamen *gluten commune*, quo varii opifices ad conglutinanda ligna aliasque res vtuntur, in fluxibus aluinis copioſiſſimis, alio quocunque remedio fruſtra tentato, propinatur; cauendum tamen eſt, ne exhibeatur, ſi aceſcens humorum ſtatus abeſt. Nocet certe, vbi alcaleſcens fluidorum indoles corpori deſtructionem minatur. Eandem fere naturam habet ICHTHYOCOLLA; gall. *Colle de Poiſſon*; germ. *Hauſſen-Blaſe, Fiſch-Leim*; quae eſt gluten ex partibus membranoſis piſcis, *Huſonis* *) dicti, paratum. Eundem pene effectum habet, conglutinante tamen vi glutini communi aliquantum cedit.

DIVISIO II.

Condenſantia.

§. 231.

Condenſantia remedia vocantur, quae ſanguini denſitatem conciliant §. 224. vel etiam eandem augent et conſeruant. Cum in ſanguine denſo particulae fluidae valde attenuatae, id eſt, in minima aggregatione conſtitutae ſint, cumque ſolidioribus, itidem atte-

*) *Acipenſer* (Huſo) LINN. Syſt. Natur. p. 238.

attenuatis, arcte cohaereant, atque ſic dicta remedia condenſantia particulis ſolidioribus, viſcoſis inſimulque irritantibus aquaeue cupidis, abundent, fit omnino, vt fluidiores humorum partes, aquoſas inprimis, ſuctione quaſi attrahant, tuncque ſolidiores viſcoſas interponendo alias figant, atque ita poroſitatem minuendo globulos humorum, denſiores et tenaciores ideoque et in aggregatione conſtitutos, ad arctiorem cohaeſionem aptos omnino reddant. Cum praeterea eadem haec remedia fibram muſcularem irritando conſtringant, aliquas partes glutinis fluidiores exprimant, reliquas magis figant arctiusque cum ſolidis connectant, ſolida non ſolum roborant, ſed etiam irritabilitatem ob partes glutinis nimis mobiles nimisque fluidas auctam minuunt, eandemque ob aquoſas partes ſuperfluas, viſcoſis nimis implicatas, imminutam augent; in vtroque autem caſu non raro ſufflaminant. Itaque omnia adſtringentia et roborantia a §. 179 ad §. 201 vſque expoſita huc ſpectant; ſed inter cuncta haec *Cortex* tantum *peruuianus* et *Martialia* cum fructu vſurpantur.

§. 232.

CORTEX PERVVIANVS ob particulas complures acido-terreas, cum amaris et glutinoſis coniunctas §. 199 egregiam vim condenſantem habet, et in omnibus morbis valet, vbi ſanguis nimis tenuis eſt, ſiue iſta tenuitas ab abundantibus particulis aqueis ſiue a diſſolutione putrida ea producta fuerit. Si corpora admodum debilia ſunt, *Infuſum* vel *Decoctum aquoſum* prodeſt; ſi aquoſitas primarum viarum nimia eſt, *Puluis Corticis*

Corticis iuuat. In putrido corporis ſtatu et Puluis et Decoctum ſimul ingeſta conducunt. In acutis interdum morbis ſi indicatur Infuſum, cum Extracto aquoſo mixtum, conducit. Caue ſemper ne ſiccitas aut viſcoſitas humorum adſit. In tali enim ſtatu nocet certiſſime.

§. 233.

Inſignem vim condenſantem habent MARTIALIA nonnulla, *Limatura Martis* §. 181. *Tinctura Martis cydoniata* §. 196. *Tinctura Martis pomata* §. 197. et nonnullae *Aquae Martiales* §. 188 et 189. Limatura inprimis vtilis cenſetur, ſi aquoſa humorum tenuitas, cum acido coniuncta, virium defectum inducit. Tinctura autem cydoniata et pomata prodeſt, vbi humores aquoſi, pauco viſcido remixti, reperiuntur. Martiales demum aquae iuuant, ſi tenuitas humorum aquoſa per totum corpus regnat. Monemus tamen multum adiuuari horum remediorum actionem, ſi victus gelatinoſus bonae indolis ſimul ingeratur, et corpus quotidie motu leniori exerceatur. Alias enim vel parum proſunt, vel nocent. Plura in capite de Roborantibus invenies.

CAPVT II.

Attenuantia.

§. 234.

Attenuantia remedia vocamus, quae in humores inprimis agunt, glutinoſam eorum indolem et inde dependentem cohaeſionem vel minuunt vel tollunt, ideoque eoſdem ſemper fluidiores reddunt. Alia eorum interſtitia,

terſtitia, a globulis humorum in aggregatione relicta, explendo maiora reddunt, neque mixtionem penetrant atque ideo humores magis diluunt. Alia ipſam mixtionem humorum ingrediuntur, glutinoſam indolem mutant, poroſitatem augent, denſitatem minuunt, ideoque globulos humorum quaſi explicant et euoluunt, inque partes conſtituentes fere disiungunt. Hinc attenuantia in *Diluentia* et *Reſoluentia* diuidimus.

DIVISIO I.
Diluentia.

§. 235.

Diluentia ſunt, quae integros humorum globulos, mixtione ſtatim non turbata, a ſe inuicem ſeparant §. 234. parteſque ſuas fluidiores interponendo fluiditatem augent. His ipſis partes inſunt, integris humorum globulis fluidiores nec vnquam irritantes. Hinc fluiditatem abſque motu aucto producunt, cumque glutinoſa indole deſtituantur, atque ratione glutinis laeuiora quaſi ſint, diu quoque in corpore non commorantur; ſi tamen copioſe ingeruntur, integros etiam humorum globulos adeo a ſe in vicem diducunt, eoque diſponunt, vt ſponte ſe explicent, laxiores quaſi fiant, et ipſi aquae tunc demum ingreſſum concilient. Vna tantum in natura reperitur ſubſtantia, diluente vi praedita, ſique *Aquam* puram egelidam nominaueris, aliam habebis nullam.

§. 236.

AQVA FRIGIDA ad ſimpliciſſima corpora §. 69. pertinet, odorem nullum, nullumque ſaporem habet et pellu-

pellucida eſt. Per ſe quidem fluida non eſt, ſed fluiditatem ab inhaerentibus particulis igneis foeneratur, interim tamen ad fluiditatem ſuſcipiendam aptiſſima eſt. Sola, abſque aliis adiunctis ſubſtantiis, in vſum ducta multa praeſtat. Sicciores ſubſtantias humidiores reddit, globulorum ſanguinis condenſatorum vim vnitam debilitat, hinc etiam reagentium vaſorum vim infringit, acria plura diſiungit, eorumque potentiam minuit, et corpori meabilitatem vndiquaque conciliat. Quapropter tum in morbis acutis, tum etiam inflammatoriis, putridis, viſcidis quibuscunque, et vbi acre regnat, remedium potentiſſimum eſt. Cum vero cito per corpus tranſeat, alia plerumque cum ea coniunguntur remedia, quae ob ſolam tantum aquam demum perfecte actiua euadunt. Tolle aquam, porrige abſque ea remedia complura, quid agent cuncta? Turbabunt corpus, noxam plerumque parient. Sed prodeſt aqua ſola, ſi materiae morbificae mobiles iam et ad egrediendum aptae ſunt. Abſtinebis ab aqua et aquoſis, vbi corpus aqueis particulis abundat.

DIVISIO II.

Reſoluentia.

§. 237.

Reſoluentium nomine inſigniuntur ſubſtantiae, quae non ſolum cohaeſionem fluidorum in aggregatione, ſed etiam cohaeſionem partium, globulos fluidorum conſtituentium, minuunt vel tollunt. Continent haecce remedia particulas actiuas, globulis humorum multo

minores, ita comparatas, vt partes, gluten ſolidorum conſtituentes, et fluidorum partes minores et mobiliores reddant, ideoque motum humorum tum ob id, quod ſolida moueantur, tum etiam, quod fluida per vaſa facilius nunc tranſeant, promoueant. Alia eorum corpus refrigerant, alia calefaciunt; hinc in *Refrigerantia* et *Calefacientia* memorata remedia diuidenda eſſe, opinamur.

SVBDIVISIO I.

Reſoluentia quae refrigerant.

§. 238.

Refrigerantia ſunt, quae denſitatem humorum minuunt, partesque eorum inflammabiles adeo disiungunt, vt ob copioſas partes non inflammabiles interpoſitas] omni momento impediantur, quo minus vi vnita in ſolida agere queant, eaque ad reactionem viuidiorem diſponant. Cum etiam in glutine ſolidorum fluiditatem augeant, partibuſque inflammabilibus plures non inflammabiles interponant, ideoque ſolida relaxent, et irritabilitatem minuant, ob id quoque refrigerium producitur, quod eo maius eſt, quo plures partes non inflammabiles, tum glutini ſolidorum, tum etiam ipſis humoribus, interponantur. Inter haec eminent 1) *Nitrum;* 2) *Sal Prunellae;* 3) *Tartarus ſolubilis;* 4) *Tartarus tartariſatus;* 5) *Terra foliata tartari* eiuſque *Liquor;* 6) *Sal ammoniacum liquidum;* 7) *Sal ammoniacum vulgare;* 8) *Sal ammoniacum ſecretum Glauberi;* 9) *Tartarus vitriolatus;* 10) *Sal mirabile Glauberi;* 11) *Sal digeſtiuum Syluii;* 12) *Sal commune;*

mune; 13) *Aquae Selteranae;* 14) *Mercurius dulcis;* 15) *Mercurius Sublimatus corroſiuus;* 16) *Cremor* et *Cryſtalli tartari;* 17) *Oxymel ſimplex;* 18) *Oxymel ſcilliticum;* 19) *Saccharum;* 20) *Mel;* 21) *Radix liquiritiae;* 22) *Lactuca;* 23) *Radix bardanae;* 24) *Herba* et *Radix Saponariae;* 25) *Radix Taraxaci;* 26) *Radix Scillae;* 27) *Antimonium* nonnullaque eiuſdem praeparata.

§. 239.

NITRVM; gall. *Nitre, Salpetre;* germ. *Salpeter.* Eſt ſal medium ſexangulare, priſmaticum, ſaporis ſalſi, ſenſum quaſi refrigerantem in lingua excitans. Conſtat ex acido ſingularis indolis et ſubſtantia alcalino-calcaria. Stimulat fibram muſcularem, denſitatem humorum minuit, fluidiores eos reddit, aquoſis partibus ingreſſum conciliat, motumque humorum, a denſitate dependentem, minuit. Prodeſt in morbis acutis et inflammatoriis, vbi ſiccitas et denſitas nimia nimiuſque calor, inde dependens, vrget. Iuuat interdum in morbis chronicis, ſi calor ob dyſcraſiam pituitoſam et atrabilariam torquet. Iuuat demum, ſi ſpaſmi et dolores, a denſitate humorum et ſiccitate nimia orti, corpus excruciant. Nihil iuuat, ſi laxitas partium et aquoſa humorum colluuies vel acida aut ſalſa eorum indoles et viſcidum pituitoſum morbos producit. Datur a granis aliquot ad drachmam vnam. Melius ſemper operatur, ſi aqua copioſa diluitur, aut acida vegetabilia aut emulſiones admiſcentur.

§. 240.

Eundem fere effectum, paulo maiorem, edunt SAL PRVNELLAE et SAL POLYCHRESTVM. Vtraque nitrum ſiſtunt, arte chemica mutatum. *Sal Prunellae* enim dicitur, ſi octo partes nitri, igne fuſi, cum vna parte ſulphuris adiecta detonantur. Maiorem ſtimulum, quam nitrum, applicat fibrae muſculari, denſitatem magis minuit, inque morbis acutis et inflammatoriis inprimis, ſi denſitas nimia eſt, iuuat. Idem dicendum eſt de *Sale polychreſto,* quod ex anaticis partibus nitri et ſulphuris per denotationem paratur. Idem praeſtat ſed efficacius operatur, quam Lapis Prunellae et Nitrum, inque morbis acutis et inflammatoriis, vbi coagulum nimis impactum in vaſis haeret, plus interdum valet. Eadem fere notanda ſunt de NITRO FLAMMANTE, quod ex alcali volatili cum acido nitri, ad ſaturationem vſque commixto, per euaporationem et cryſtalliſationem paratur. Profundius hoc ſal penetrat, ſique coagulum inflammatorium in vaſculis minutiſſimis haeret, maiorem effectum edit, quam praecedentia ſalia, immo ſi eadem ob nimiam humorum denſitatem fruſtra ſaepe vſurpantur, hoc ſane non ſine fructu exhiberi poterit.

§. 241.

TARTARVS SOLVBILIS ſal medium ſiſtit, ex cremore aut cryſtallis tartari et alcali volatili paratum. Saporis ſalſi eſt, ſat penetrantis. Fibram muſcularem viuide ſatis ſtimulat, denſitatem humorum minuit, viſcidum pituitoſum et atrabilarium reſoluit et profunde corpus penetrat, non adeo diu tamen moras in corpore nectit.

Iuuat

Iuuat in morbis acutis, inflammatoriis, atrabilariis et chronicis pituitoſis. Minime tamen vt nitrum agit; acrius eſt, citius operatur, neque oleoſam humorum partem adeo compeſcit. Conducit inprimis, ſi viſcidum, in ſubtiliſſimis vaſis haerens, mobile jam eſt. Cum ſubſtantiis gummoſo-reſinoſis reſoluentibus mixtus remedia largitur, in multis morbis viſcidis maxime proficua. Cum hocce ſale aliquantum conuenit TARTARVS TARTARISATVS, qui ex cremore aut cryſtallis tartari, cum alcali fixo vegetabili ad ſaturationem commixti, per euaporationem et vel per ſubſequentem cryſtalliſationem vel inſpiſſationem paratur. Sapor eius ſalſus eſt. Eadem fere praeſtat, quam praecedens ſal, praeter id, quod non adeo penetret, diutius tamen in corpore commoretur. Cum ſubſtantiis reſoluentibus aut purgantibus coniunctus, eorum vim acuit, et remedia in morbis acutis aeque ac chronicis viſcidis egregia ſuppeditat. Cum tartaro tartariſato multa communia habet SAL SEIGNETTE dictum, ex ſoda hiſpanica et cremore tartari paratum, magis tamen ſalſum eſt et acrius et plerumque ſalis communis quidquam continet. Hinc magis ſtimulat, magis exſiccat inque morbis acutis vix bene propinatur.

§. 242.

Egregium ſane neque ſatis laudandum remedium praebet TERRA FOLIATA TARTARI, *Arcanum Tartari* alias dictum. Ex alcali fixo vegetabili, cum aceto ad ſaturationem vſque mixto, per euaporationem et inſpiſſationem paratur. Sal medium eſt, vere ſapo-

naceum. Stimulum, non adeo diu inhaerentem, fibrae muſculari applicat, denſitatem humorum minuit, viſcidum quodcunque aggreditur, breues in corpore moras nectit et omnium facillime a natura humana ſuperatur. Valet in omnibus morbis, vbi ſalina remedia locum inveniunt. Id tamen notandum eſt, hocce ſal, per ſe exhibitum, praeualere in morbis, vbi materies viſcida mobilis iam eſt et natura tantum leni ſtimulo adiuuari debet. Prodeſt etiam, ſi viſcidum adhuc tenaciſſimum et implicitum eſt; tunc vero aliorum remediorum actionem tantum adiuuat, per ſe autem exhibitum cauſae iſti pertinaci impar eſt. Si mixtura, ex alcali et aceto parata, ad remanentiam tertiae partis vſque euaporatur, remedium habebis, eundem vſum praeſtans, ſed ad paranda remedia compoſita maxime aptum. Sal iſtud ſeu ſic dicta *Terra foliata tartari,* aëri humido expoſita, liqueſcit, tuncque *Liquor terrae foliatae tartari* vocatur. Pretioſum hoc medicamentum egregii vſus eſt, et in reſoluendo viſcido plura praeſtat, quam Terra foliata. Num recte faciunt, qui in multis morbis eo remedio vtuntur? Certe in multis laudandum eſt, dummodo alia, quae diutius in corpore commorantur et cauſae efficaci paria ſunt, non negligantur.

§. 243.

Laude non inferius eſt SAL AMMONIACVM LIQVIDVM, *Spiritus Mindereri* ab aliis dictus. Liquor eſt, qui ex aceto, cum ſpiritu ſalis ammoniaci ad ſaturationem vſque mixto, paratur. Inſunt huic liquori partes ſalinae ſubtiliſſimae, cum ſubtiliſſimis oleoſis arcte coniun-

coniunctae. Lenem nec diu inhaerentem ſtimulum fibrae muſculari applicat, breui tempore in corpore commoratur, denſitatem humorum minuit, viſcidum mobile magis attenuat et reſolutum ad euacuationem diſponit. Putrido etiam obeſt, inprimis ſi viſcido adhuc implicitum neque adeo euolutum eſt. Profundius corpus penetrat, quam Liquor terrae foliatae tartari, mitius tamen eſt remedium et actionem breuiori tempore abſoluit. Ad neruos accedere et lentorem fluidi neruei, a putrido dependentem, corrigere videtur. Ex pluribus ſubſtantiis ſimplicibus, vi ſalutari inſtructis, actiuas partes educit, et medicamenta, nunquam ſatis laudanda, praebet. Valet in morbis acutis, inflammatoriis, putridis chronicis, modo nimia diſſolutio nimiusque motus abſit, et viſcidum, non adeo impactum, vaſis inhaereat: cedit tamen hoc, ſi aliis remediis ſimul iunctum vſurpatur.

§. 244.

SAL AMMONIACVM VVLGARE; gall. *Sel Ammoniac*; germ. *Salmiac*. Sal medium eſt, ex alcali volatili et acido ſalis productum. Ex vrina, fuligine et ſale communi per ſublimationem paratur. Ex Hollandia aliiſque prouinciis Germaniae adfertur. Sapor ſalſus et valde acris eſt. Partes eius conſtitutiuae ſalinae admodum actiuae ſunt, in quibus ſubſtantia inflammabilis, admodum ſubtiliata, reconditur. Acute fibram muſcularem ſtimulat, denſitatem humorum fere tollit, viſcidum morboſum reſoluit et acre reddit, non adeo diu tamen in corpore commoratur. Valet tantum in morbis chronicis viſcidis, in quibus ſolida, valde laxa,

ſtimulum fortem requirunt, et viſcidum pituitoſum iners, copioſum quidem, ſed non adeo impactum deprehenditur. Hinc interdum in febribus intermittentibus ſibi par non habet remedium. Caue vero, ne ſiccioribus macilentis iiſque exhibeas hominibus, vbi acre humoribus aut viſcido inhaeret et, praeter viſcidum, etiam aquae ſtagnantes reperiuntur. Vſurpatur vel vulgare, nondum mutatum, vel *Depuratum,* quod per ſolutionem cum aqua colando, euaporando et exſiccando obtinetur, vel praeſcribuntur eiuſdem *Flores,* qui per ſublimationem producuntur. Datur a ſcrupulo vno ad drachmam vnam.

§. 245.

SAL AMMONIACVM SECRETVM GLAVBERI praecedenti multo mitius eſt, neque tam efficax. Ex acido vitriolico et alcali volatili producitur. Sapor ſalſus amaricans non adeo acris eſt. Partes inſunt ſalinae, praecedenti minus ſubtiles. Modice fibram muſcularem ſtimulat, denſitatem humorum aliquantum minuit, viſcidum morboſum attenuat neque acre reddit, et diutius quam Sal ammoniacum vulgare in corpore moras nectit. Prodeſt in morbis chronicis viſcidis, qui a viſcido pituitoſo copioſo aquoſo, vel etiam cum acido coniuncto, proueniunt, et vbi in nonnullis cauitatibus aquae ſtagnantes ſunt. Per ſe quidem propinari poteſt, ſed cum aliis, amaris inprimis coniunctum, melius operatur.

§. 246.

TARTARVS VITRIOLATVS ſal medium eſt, ex acido vitriolico et alcali fixo vegetabili compoſitum.

Sapor

Sapor ſalſus, amaricans, nequaquam acris eſt. Inter omnia fere ſalia diutiſſime in corpore commoratur, et inter cuncta etiam minime relaxat. Fibram muſcularem leniter ſtimulat, denſitatem humorum non multum minuit, viſcidum morboſum reſoluit et ad euacuationem diſponit. Prodeſt in morbis chronicis, vbi viſcidum pituitoſum, iners copioſum, humoribus ineſt, ſique vaſis iſtud adeo impactum haeret; cum amaris aliisque reſoluentibus gummoſo-reſinoſis mixtum, praecipue iuuat. Debilia inprimis corpora huius ſalis ſtimulum ferunt, et valet omnino, vbi alia, fortius ſtimulantia, ſalia propinari nequeunt. Magis tamen quam alia ſalia exſiccat. Cum eo fere conuenit *Arcanum duplicatum*, ex acido vitriolico et baſi alcalino-calcarea nitri compoſitum eſt. Minorem vim habet, caeterum eadem praeſtat.

§. 247.

SAL MIRABILE GLAVBERI §. 48. praeſtantiſſimum quoque reſoluens eſt, ſi in parua doſi, ad drachmam dimidiam aut integram vſurpatur. Diu non commoratur in corpore, leniter fibram muſcularem ſtimulat, denſitatem humorum potenter imminuit, et in viſcidis pituitoſis ſiccioribus morbis prodeſt. Iuuat etiam, ſi concretiones terreae hinc inde in corpore haerent; nec putridis materiis impar eſt, inprimis ſi cum amaricantibus balſamicis coniungitur. Aliorum quoque amarorum nec minus dulcium connubium amat et in multis morbis pituitoſis atrabilariis proficua praebet remedia.

§. 248.

SAL DIGESTIVVM SYLVII ſal medium eſt, ex acido ſalis et alcali fixo vegetabili compoſitum. Cryſtallos cubicas format. Sapor valde ſalſus eſt. Fibram muſcularem acriter ſatis ſtimulat, denſitatem humorum inſigniter minuit, eosdem acres reddit et viſcidum morboſum, inprimis pituitoſum iners, tenaciſſimum licet, reſoluit. Vſum habet in morbis, vbi lentor humorum a viſcido pituitoſo copioſo dependet, idemque profunde ſatis partibus inhaeret et gluten ſolidorum ob viſcidum hoc nimis laxum eſt. In aliis morbis, inprimis ſi motus humorum excedit, ſique tenuitas nimia adeſt et acrimonia vrget, nocet. Datur vel ſolum ad drachmam vnam vel cum aliis, amaris inprimis, coniunctum.

§. 249.

SAL COMMVNE, alias *Marinum* aut *Fontanum* aut *Foſſile* dictum; gall. *Sel commun*; germ. *Koch-Salz, Meer-Salz, Stein-Salz.* A natura producitur. Ex acido ſingularis indolis et alcali minerali conſtat. Cryſtallos cubicas format et ſaporis admodum ſalſi eſt. Sal marinum per euaporationem aquae marinae obtinetur. Impuriſſimum hoc eſt et plerumque materiam bituminoſam et particulas nitroſas admixtas habet. Foſſile terreas particulas ſuperfluas adiunctas continet et ex fodinis, lapidum inſtar, effoditur. Fontanum vt aqua ſcaturit, et per euaporationem in ſubſtantiam ſolidam cogitur. Puriſſimum eſt et, praeter acidum et alcali, raro aliam ſubſtantiam adiunctam habet. Adeo naturae

rae humanae aſſueſcit ſal cummune, vt vix medicamenti vices gerere poſſit. Vſus tantum culinaris eſt, laudabile tamen naturae donum, quo vix carere poſſumus. Multum ad facilius digerendos cibos viſcidos confert. Cibis enim adiectum, viſcidum adeo attenuat, vt vires digerentes, per ipſum hoc ſal viuidius excitatae, nexum ciborum facilius diſiungere et partem nutrientem extrahere queant. Nimis tamen vſurpatum acrimonia ſua nocet et denſitatem humorum inſigniter minuit, humores acres reddit corpusque depaſcit. Pro ſcopo medico ad clyſmata recipitur, ſi ſtimulo opus eſt. Caue, ne cibi nimis ſaliti concedantur, ſi motus humorum nimius eſt, aut nimia tenuitate humorum et ſiccitate corpus peccat.

§. 250.

AQVAE SELTERANAE; germ. *Selzer-Waſſer.* Ad aquas minerales pertinent. Scaturiunt eae in pago quodam Regionis Treuirenſis, *Nieder-Selz* dicto, non ita procul ab vrbe Limburgo. Continent iſtae aquae ſpiritum mineralem elaſticum, non adeo copioſum, et ſubſtantiam alcalinam. Fibram muſcularem leni ſtimulo irritant, neruos modice commouent, humores aliquantum attenuant, acidam acrimoniam ſenſim corrigunt, breui tempore in corpore commorantur, nec vires corporis adeo ſollicitant, ſed excitatis facillime cedunt et per vrinae vias egrediuntur. In morbis chronicis vſum habent, et iis praecipue, vbi viſcidum, mobile iam, attenuandum, vltro diluendum et leni ſtimulo mouendum eſt. Si viſcidum adhuc tenax eſt,

viſce-

viſcerumque infarctus produxit, per ſe quidem parum vtilitatis praeſtat, ſed aliorum remediorum reſoluentium actionem multum adiuuat. Si acida acrimonia humores peccant, aut ob putridum, viſceri cuidam inhaerens, ſenſim corrumpuntur, et corpus tunc, ob lymphae nutrientis defectum, ſenſim depaſcitur, cum lacte iſtae aquae mixtae egregie conducunt. Cum vino acidulo coniunctae potum ordinarium conſtituunt, tuncque remedium diluens, leniter commouens, ſiſtunt, ſi aliae aquae, *Egranae* v. g. aut *Pyrmontanae*, curationem primariam abſoluunt. Debiliſſimis ſemper ſuadendae ſunt, vix vnquam nocent: in morbis acutis tamen et putridis, ob inhaerentem ſubſtantiam alcalinam, officiunt: hydropicis fere nocent.

§. 251.

MERCVRIVS DVLCIS, de quo plura iam inter ſialagoga §. 89. dicta ſunt, potentiſſimum remedium reſoluens eſt, in morbis chronicis tantum vſurpandum. Si in parua doſi ad grana duo propinatur nec vſus eiusdem continuatur, per ſaliuam non euacuat, ſed reſoluit tantum et viſcidum pituitoſum ad euacuandum aptum reddit. Cum camphora mixtum per multos dies absque ſaliuatione continuari et reſoluendo agere, dicunt. Cum aqua calcis viuae mixtus externo vſui inſeruit, tuncque vlcera impura, venerea inprimis, abſtergit, depurat, exſiccat. Plura ſupra dicta habes.

§. 252.

MERCVRIVS SVBLIMATVS CORROSIVVS plerumque ex commixtione mercurii cum vitriolo calcinato

nato et ſale communi decrepitato per ſublimationem paratur. Album, cryſtallinum corpus ſiſtit, ex acido ſalis concentratiſſimo, globulis mercurialibus vnito, conſtans. In ſubſtantia interne cauſticum fere et venenum eſt; ſi tamen ad experientiam recentiorum pauca grana, duo v. g. cum vnciis quatuor ſpiritus frumenti, vel quod melius eſt, cum aqua quadam deſtillata, nequaquam oleoſa, commiſcueris, generoſum et efficaciſſimum habebis remedium, quod viſcidum pituitoſum, in ſubtiliſſimis corporis interſtitiis haerens, reſoluit, mouet et ad euacuationem diſponit. Bene tamen perpendas, remedium hoc gluten ſolidorum naturale etiam aggredi, attenuare, denſitatem humorum fere tollere, acres humores acriores reddere et glutinoſam lymphae nutrientis naturam mutare. Valet tantum in morbis chronicis, vbi irritabilitas ſolidorum, ob viſcidum pituitoſum maxime imminuta, deprehenditur, et idem viſcidum, humoribus immixtum, lentorem humorum producit, variisque morbis chronicis occaſionem praebet. Nocet, ſi acrimonia quadam humores peccant, periculoſiſſimus ſane aeſtimatur, vbi tenuitas eorum adeſt et nutritio deficit. In morbis venereis plura praeſtare, experientia docet. At vero viſciſcidum adſit, neceſſe eſt; alias nocet. Summam ſemper vſus eius expoſtulat attentionem: ſi audax nimis es, ab eo abſtineas! Venenum ſaepe eſſe, memento!

§. 253.

CREMOR et CRYSTALLI TARTARI §. 82. et ACETVM §. 70 et 81. egregia ſunt reſoluentia in morbis

bis acutis, inflammatoriis, putridis et atrabilariis maxime proficua. Denſitatem humorum valde minuunt, viſcidum inflammatorium et bilioſum et atrabilarium reſoluunt, bilem acrem alcalinam corrigunt, et oleoſas partes humorum, nimis exaltatas, compeſcunt. Si vna pars aceti cum duabus partibus mellis coquitur, remedium, nunquam ſatis laudandum, *Oxymel* ſic dictum *ſimplex* obtinetur, quod in iisdem morbis valet, ſed multo efficacius eſt. Profundius namque penetrat, denſitatem humorum magis minuit et viſcidum morboſum eo diſponit, vt facilius cum aqua coniungi, ſicque humoribus maior fluiditas conciliari poſſit. Medetur ſimul ſiccitati, neruis amicum eſt et calorem, a nimia denſitate aut bile exagitata ortum, refraenat. Idem fere dicendum eſt de *Oxymelle ſcillitico*, §. 39 et 80. quod multo maiorem adhuc vim reſoluendi habet. Valet quidem in morbis acutis et inflammatoriis, ſaepe etiam in bilioſis et atrabilariis, in quibus cunctis egregiam vim reſoluentem exſerit. Bene tamen perpendas, ſquillae partes reſoluentes adiunctas eſſe, hinc neruis ſaepe aduerſari. Vſum etiam habet in morbis chronicis, vbi viſcidum pituitoſum copioſum cauſam ſuppeditat, ſi tamen laxitas partium nimia eſt, ab eo vel abſtinebis, vel idem parcius propinabis, vel alia, quae et reſoluunt et exſiccant, adiunges. In morbis pectoris et viarum vrinariarum multum prodeſt; profuit ſaepe in hydrope. Licet vero vſus eius ampliſſimus ſit, in morbis tamen, vbi nimia tenuitas humorum, aut acrimonia acida, aut viſcidum cum acido coniunctum eſt, vel parum iuuat, vel etiam aliquantum nocet.

§. 254.

SACCHARVM §. 94. viſcidum, vt vulgo putatur, non generat, ſed optime ei opponitur. Fibram muſcularem leni ſtimulo ad motum ſollicitat, aliquanto laxat, denſitatem humorum minuit, viſcidum morboſum reſoluit, acrimoniam alcalinam, putridam, inprimis ſalſam, corrigit, et cuncta ſaepe ad euacuationem diſponit. Conuenit in morbis acutis aeque ac chronicis, vbi ſolida rigida, vel exſucca, denſitas humorum nimia, viſcidum valde tenax et iners vel alcalinum, putridum, bilioſum morbis iſtis occaſionem praebent. Conducit inprimis ſenibus, ſiccis, bilioſis, attrabilariis; vix prodeſt, nec raro nocet laxis, aquoſis, pituitoſis, acidam acrimoniam ſouentibus, macilentis. Idem praeſtat MEL §. 131. eo tantum diſcrimine, quod magis humectet et relaxet, ideoque in morbis acutis et inflammatoriis vtilius plerumque cenſeatur. Vtrumque in morbis pectoris egregii vſus eſt; inprimis *Mel* plura praeſtat, pulmonum vlcera abſtergit, parua ſaepe ſanauit. Id vitium habent praeſtantiſſima alias iſta remedia, vt in debilibus acidum facile generent et laxitatem augeant; quod tamen vitium corrigitur, ſi et balſamica et amara adiiciantur. Si Mel ſpernas, medici nomen non promereris.

§. 255.

RADIX LIQVIRITIAE, GLYCYRRHIZAE *); gall. *Regliſſe;* germ. *Süsholz.* In Germania inprimis in

*) *Glycyrrhiza* (glabra) LINN. Spec. 1046. BLACKWELL. 495.

in agro Bambergenſi colitur. Radix haec longa admodum et digitum et vltra craſſa eſt; color externus fuſcus internus luteus cernitur; odor debilis, aliquantum tamen nauſeoſus, ſapor acriuſculus, dulcis, itidem nauſeoſus. Ex partibus conſtat terreis et gummoſo-mucilagineis, intermixtis paucis reſinoſis, quibuscum ſubſtantia dulcis coniuncta eſt. *Decoctum aquoſum* et *Succus inſpiſſatus* fibram muſcularem leniter irritant, humores aliquantum attenuant, ſolida pauliſper relaxant, viſcidum morboſum tenax reſoluunt et ad euacuationem aptum reddunt. Conducunt in morbis chronicis, vbi viſcidum pituitoſum tenax vel iners vel cum acrimonia ſalſa coniunctum eſt. *Eſſentia*, ope ſpiritus vini parata, nihili aeſtimanda non eſt, et vſum inprimis habet, ſi viſcidum pituitoſum copioſum, laxum et aquoſum, cum laxitate ſolidorum inſigni coniunctum, infarctus viſcerum producit. Cuncta haec praecipue in morbis pectoris et viarum vrinariarum conducunt et ſaepe cum fructu vſurpantur. Ob ſaporem tamen facile diſplicent, atque, ſi in largiore doſi propinantur, diu continuari nequeunt. Aliis decoctis plerumque additur Radix Liquiritiae, in parua tamen doſi et vltra drachmam raro aſcendere licet. Facile enim nauſeam mouet, et aegrotantes infuſa et decocta, in quibus ſapor Liquiritiae eminet, reſpuunt.

§. 256.

LACTVCA *); gall. *Laitue;* germ. *Sallat.* Planta indigena eſt. Odorem nullum habet, ſaporem vero muci-

*) *Lactuca* (ſatiua) LINN. Spec. 1118. BLACKW. 88.

mucilagineum et lacteſcentem quaſi ſuccum continet, ex pluribus particulis aquoſis, mucilagineis tenerioribus et oleoſo acidis compoſitum. Fibram muſcularem vix afficit, denſitatem humorum lente minuit, viſcidum morboſum tenax reſoluit, et reſolutum iam ad euacuationem vltra diſponit, immo vel per aluum vel per vrinae vias euacuat. In lentis bilioſis morbis inſignis vtilitatis eſt; ſiccitati medetur et aeſtum, a denſitate humorum dependentem, temperat. *Succus expreſſus* ad reſoluendas viſcerum obſtructiones, a viſcido atrabilario aut bilioſo tenaciſſimo ortas, efficaciſſimus eſt: *Decoctum aquoſum* vel etiam cum iuſculis paratum inteſtinalem ſiccitatem corrigit, ipſa autem lactuca, cum aceto parata, tempore aeſtiuo egregium praeſidium eſt: humectat enim, aeſtum humorum temperat, bilem compeſcit, nimiaeque denſitati, facile per aeſtatem oriundae, obſtat. Vix prodeſt laxis, aquoſis, frigidis, macilentis, inprimis ſi aluus nimis laxa eſt.

§. 257.

BARDANAE RADIX *); gall. *Racine de Bardane;* germ. *Klettenwurzel.* Radix indigena eſt, longa, digitum et vltra craſſa, extus gryſea, intus ex albo cinerea, odoris nullius, ſaporis mucilaginei, dulceſcentis, demum amaricantis. Partes continet terreas complures et mucilagineo-gummoſas, cum intermixtis paucis reſinoſis coniunctas, in quibus cunctis ſubſtantia dulceſcens et amaricans diſſeminata haeret. *Decoctum* eius *aquoſum,* quod

*) *Arctium* (Lappa) LINN. Spec. p. 1143. BLACKW. 117.

quod inprimis in vſu eſt, fibram muſcularem vix irritat, denſitatem humorum lente minuit, viſcidum morboſum tenax et ſpiſſum attenuat, tenues nimis humores incraſſat et acres inuoluit. Vſus eſt in morbis chronicis, qui a ſanguine, viſcida pituita inquinato, aut acri pruriente materie dependent. Hinc in morbis pectoris pituitoſis et vitiis cutaneis tum humidis tum ſiccis multum prodeſt. Vbi tamen viſcidum pituitoſum nimis laxum et aquoſum eſt, per ſe parum iuuat, additis vero aliis reſoluentibus magis ſtimulantibus et exſiccantibus, egregie conducit.

§. 258.

SAPONARIA *); gall. *Saponaire;* germ. *Seiffenkraut.* Planta indigena eſt. Et herba et radix in vſum medicum cedunt. Odor tum in hac tum in illa nullus ſentitur, ſapor mucilagineus, quodammodo dulceſcens. Succum continent, qui ex pluribus partibus aquoſis, cum mucilagineis et acido-oleoſis coniunctis, conſtat. *Succus expreſſus* egregia vi ſaponacea, reſoluente inſtructus, vſum habet in morbis chronicis, vbi viſcidum pituitoſum tenax aut atrabilarium humores inquinat, et obſtructiones producit. Hinc aſthmaticis, hypochondriacis, calculoſis tempore vernali multum prodeſt. Exſiccatis virtus fere nulla.

§. 259.

RADIX TARAXACI **); gall. *Piſſenlit;* germ. *Pfaffenröhrlein, Röhrleinskraut.* Eſt radix indigena,

*) *Saponaria* (officinalis) LINN. Spec. p. 584. BLACKW. 113.

**) *Leontodon* (Taraxacum) LINN. Spec. p. 1122. BLACKWELL. 1 et 501.

gena, longa, digitum et vltra craſſa, foris gryſea intus ex albo luteſcens. Odor nullus eſt, ſapor vero dulceſcens primo, poſtea amaricans, mucilagineus. Conſtat ex partibus terreis compluribus, cum mucilagineis tenerioribus coniunctis, quibuſcum ſubſtantia dulceſcens et amaricans coniuncta eſt. *Succus* ex recenti radice expreſſus leniſſime fibram muſcularem ſtimulat, denſitatem humorum modice et ſenſim tantum minuit, viſcidum pituitoſum tenax et acidum nec non atrabilarium egregie reſoluit, et in morbis chronicis multum praeſtat. Inprimis in obſtructionibus viſcerum digerentium, in pectoris et viarum vrinariarum glandularumque morbis pituitoſis palmam multis praeripit. Nunquam exſiccat, neque tamen laxitatem adeo auget. In curationibus vernalibus, quae ob lentorem humorum, per hyemem a viſcido copioſo accumulato contractum, inſtituuntur, principatum fere tenet, inprimis ſi cum Dauci aut Hederae terreſtris aut alius plantae lacteſcentis ſucco commiſcetur. Si mane, ieiuno ventriculo, duae treſue vnciae dicti ſucci ingeruntur, et ſerum lactis aut aqua Selterana ſuperbibitur, iuuamen praeſtantiſſimum habebis. Minorem laudem meretur *Decoctum* radicis exſiccatae, non tamen ſpernendum plane. In iisdem aegritudinibus vtile eſt, et per hyemem ad praeparanda corpora, curationibus vernalibus adaptanda, cum fructu adhibetur.

§. 260.

RADIX SCILLAE §. 80. eiuſque praeparata inſignem vim reſoluentem habent, et humorum denſitatem valde minuunt. Laudantur inprimis in morbis chronicis,

vbi viſcidum copioſum pituitoſum morbos produxit. Si infarctus viſcerum vel etiam obſtructiones adſunt pituitoſae, *Puluis* et *Extractum* praeſtant; ſi ſiccitas ſimul vrget, *Acetum* et *Oxymel Squilliticum* praeferendum eſt. Cuncta tamen Squillitica caute applicabis, ſi defectus lymphae nutrientis adeſt, ſi irritabilitas nimia, ſi nervoſi affectus ſimul obſeruantur. Plura ſupra dicta ſunt.

§. 261.

Ad Reſoluentia, quae, licet corpus vix refrigerent, calorem tamen eiuſdem non augent, pertinent 1) *Antimonium crudum;* 2) *Regulus Antimonii medicinalis;* 3) *Sulphur Antimonii auratum tertiae praecipitationis.*

ANTIMONIVM CRVDVM, STIBIVM; gall. *Antoimoine;* germ. *Spieſsglas.* Eſt ſubſtantia mineralis, fragilis, coloris coerulei et plumbei, ſtriis ſplendentibus notata. Conſtat ex ſemimetallo ſingularis indolis, et Sulphure, cuius ope illud mineraliſatum eſt. Odore et ſapore fere deſtituitur. Si acida aut alcaleſcens acrimonia deeſt in corpore, iners aeſtimatur Antimonium, ſin vero acidum in corpore regnat, actiuum euadit. Non conducit, ſi acida acrimonia euoluta absque viſcido corpori inhaeret, idque nimia tenuitate humorum laborat; ſin vero viſcidum, cum acido coniunctum, lentorem et obſtructiones producit, non contemnendum eſt. Hinc in ſubtiliſſimum puluerem redactum, a granis aliquot ad ſcrupulum vnum exhibitum, in morbis glandularum, rhevmatiſmis et arthriticis nonnullisque ſcabioſis affectionibus, a viſcido pituitoſo acido prouenientibus, vſurpatum interdum iuuat. Caue vero, ne

ne abſque praemiſſis euacuantibus et adiunctis terreis Antimonium iis exhibeas, qui acidum in primis viis fouent: in tali enim ſtatu magis nocet, quam prodeſt. Id etiam obſeruandum eſt, vt, dum vſus Antimonii per aliquot tempus continuetur, ſaepe laxantia interponantur, quo primae viae, a reſiduis partibus inertibus Antimonii et terrei remedii onuſtae, liberentur, et actio Antimonii promoueatur.

§. 262.

Paulo magis efficax cenſetur REGVLVS ANTIMONII MEDICINALIS, qui ex Antimonio crudo, Sale communi et Tartaro crudo per fuſionem paratur. In iisdem morbis vtilis eſt, maioremque vim habet, ſiquidem regulina pars a ſulphure magis, quam in Antimonio crudo, libera eſt. Huic certe antecellit ille *Regulus Antimonii medicinalis*, cuius praeparationem Cl. SCHVLZE *) communicauit. Funduntur nimirum partes quatuor Antimonii crudi in crucibulo terreo, fuſis ſenſim additur pars vna nitri puriſſimi; detonatione peracta, per aliquot tempus maſſa fuſa adhuc in igne detinetur, tandem effunditur et aſſeruatur. Hunc regulum faciliori negotio parari et communi efficaciorem eſſe, certum eſt. Sed tutius eſt, vt recte monet Cl. CARTHEVSER **), nitri quantitatem adhuc imminuere, antimonii contra copiam augere, et

*) Vid. Commerc. litterar. Norimb. Ann. 1731. p. 75.

**) Vid. IOANN. FRIDER. CARTHEVSER Elementa Chemiae &c. Francof. ad Viadr. 1753. 8. p. 165. ſeq.

octo partibus Antimonii fuſi vnam partem nitri ad praeſcriptam methodum adiicere. Sic enim ſulphuris pars ſeparatur, neque tamen in ea quantitate, vt Antimonium emeticum euadat.

§. 263.

Praeſtantiſſimum quoque reſoluens eſt SVLPHVR ANTIMONII AVRATVM, quod per praecipitationem oritur. Si nimirum ſcoriae Reguli Antimonii ſimplicis aut Antimonium, cum alcali fuſum, cum aqua coquitur, poſtea colatur, et colato liquori pauxillum acidi cuiusdam e. g. Aceti adfunditur, paulo poſt denuo colatur, colato rurſus pauxillum aceti additur, iterumque colatur, isque labor toties repetitur, donec nulla amplius praecipitatio obſeruetur, varia praecipitata diuerſi coloris obtinentur. Inter haec illud, quod aurantii coloris eſt, et vltima vice obtinetur, et *Sulphur Antimonii auratum tertiae praecipitationis* vocatur, vim reſoluentem habet, reliqua plerumque emeſin mouent. Vtile cenſetur hoc ſulphur, vbi valido ſtimulo opus eſt, et viſcidum pituitoſum tenaciſſimum, vaſis profunde impactum, ineſt; hinc in morbis glandularum et pectoris pituitoſis multum praeſtat. Iuuat etiam in viſcidis morbis venereis, pertinacioribus inprimis, ſi Mercurius dulcis, aut Cicutae Extractum, aut Gummata reſoluentia adduntur. Datur pro doſi a granis duobus ad quinque vel vltra in pilulis aut potionibus.

SVBSI-

SVBDIVISIO II.

Reſoluentia, quae calefaciunt.

§. 264.

Reſoluentia remedia, que corpus ſimul calefaciunt, aut ad minimum calorem non minuunt, tales ſunt ſubſtantiae, quae quidem denſitatem humorum minuunt, et humores fluidiores reddunt, ſed vel partes aquoſas ſubducunt, vel inflammabiles augent et acriores reddunt, ideoque efficiunt, vt partes inflammabiles non quidem arctius vnitae, ſed in aggregatione auctae maiori copia in ſolida agant, atque haec ipſa, cum ob copioſiores partes inflammabiles magis irritabilia euadant, ad reactionem viuidiorem diſponant. Quo facto partes inflammabiles denuo magis motae ſenſum caloris in neruis producunt, idque eo magis, quo plures inſunt, quoue viuidius in corpore circumeunt. Pertinent ad haecce remedia 1) *Radix Foeniculi*; 2) *Oreoſelinum*; 3) *Hyſſopus*; 4) *Hedera terreſtris*; 5) *Scordium*; 6) *Chamaedrys*; 7) *Centaurium minus*; 8) *Fumaria*; 9) *Carduus benedictus*; 10) *Trifolium fibrinum*; 11) *Radix Gentianae rubrae*; 12) *Lupulus*; 13) *Abſinthium*; 14) *Fel taurinum*; 15) *Lignum Guaiacum*; 16) *Lignum Saſſafras*; 17) *Radix Curcumae*; 18) *Radix Serpentariae virginianae*; 19) *Radix Leuiſtici*; 20) *Radix Angelicae*; 21) *Radix Imperatoriae*; 22) *Radix Carlinae*; 23) *Radix Pimpinellae albae*; 24) *Tincturae Antimonii alcalinae*; 25) *Sapo venetus*; 26) *Fuligo*; 27) *Balſamum peruuianum nigrum*; 28) *Terebinthina veneta*; 29) *Balſamum*

ſamum de Copaiua; 30) *Gummi Ammoniacum*; 31) *Gummi Sagapenum*; 32) *Myrrha*; 33) *Flores Salis ammoniaci martiales*.

§. 265.

RADIX FOENICVLI *); gall. *Racine de Fenouil*; germ. *Fenchel-Wurzel*. Radix indigena eſt, longa, digitum craſſa, albida, odoris aliquantum aromatici, ſaporis dulceſcentis, acriuſculi, aromatici. Ex pluribus conſtat partibus terreis, quibuscum mucilagineae et gummoſo-reſinoſae paucae commixtae ſunt, in quibus dulcis et acris ſubſtantia reſidet. *Decoctum* aquoſum, quod inprimis in vſu eſt, fibrae muſculari ſtimulum, non adeo exiguum et diutius paulo inhaerentem, applicat, eandem vix relaxat, denſitatem humorum minuit, humores quodammodo acres et calidiores reddit, aquoſas partes aliquantum diſſipat, et viſcidum morboſum attenuat. Vſum habet in morbis chronicis, qui a viſcido pituitoſo laxo aquoſo et relaxatione nimia dependent, et vbi ob hancce cauſam lentor nimius eſt; hinc in morbis digeſtionis, et pectoris, et viarum vrinariarum viſcidis, cum aliis remediis coniuncta, non contemnenda eſt.

§. 266.

HERBA OREOSELINI *); gall. *Ache de montagne*; germ. *Bergeppich*. Planta indigena eſt. Odorem

*) *Anethum* (Foeniculum) LINN. Spec. p. 377. BLACKWELL. 288.

*) *Athamanta* (Oreoſelinum) LINN. Spec. p. 352. RIVINI Pentapetal. 8.

rem habet quodammodo nauſeoſum, ſaporem acriusculum, primo dulceſcentem, poſthac leniſſime amaricantem. Conſtat ex partibus gummoſo-reſinoſis, cum mucilagineo-terreis coniunctis. *Infuſum aquoſum,* quod vnice in vſu eſt, leni ſtimulo, nec diu durante, fibram muſcularem ad motum ſollicitat, denſitatem humorum minuit, eorum motum paululum intendit, viſcidum morboſum reſoluit et ad euacuationem diſponit. Praecipue in viſcidis morbis pectoris, et viarum vrinariarum valde proficuum eſt, vbi tamen non nimis calidum requiritur; ſi calidius paulo bibitur, diaphoreſin etiam adiuuat, diu tamen ſolum hoc Infuſum absque aliis, amaricantibus inprimis, continuandum non eſt. Relaxando enim nimiumque reſoluendo pulmones viſcido copioſo obruit et debilitat.

§. 267.

HERBA HYSSOPI *); gall. *Hiſope*; germ. *Yſop.* Planta indigena eſt. Odor aliquantum balſamicus ſentitur, ſapor acriusculus, amaricans. Ex pluribus conſtat particulis mucilagineo-terreis, quibuscum paucae oleoſae ſubtiliores et particulae, gummoſo-reſinoſis ſimiles, coniunctae ſunt. *Infuſum,* quod prae reliquis praeparatis valet, lenem, nec diu inhaerentem ſtimulum fibrae muſculari applicat, denſitatem humorum minuit, motum eorum aliquantum leniſſime tamen intendit, viſcidum, morboſum reſoluit, neque corpus multum exſiccat, multo minus relaxat. Hinc, ſi tepide

*) *Hyſſopus* (officinalis) LINN. Spec. p. 796. BLACKWELL. 296.

de ingeritur, in morbis chronicis pituitoſis, inprimis pectoris et viarum vrinariarum humidis affectibus, optime conuenit, vlcuſcula interna leniter abſtergit, et ad ſanationem quidquam confert. Si calide vſurpatur, diaphoreſin promouet. Oreoſelino vnitus Hyſſopus reſoluentem et relaxantem eiusdem vim minuit; hinc laudandum obtinetur pectorale remedium. Prodeſt pituitoſis, humidis; minus auxilium fert ſiccis, calidis, macilentis, ſi tamen mel adiunxeris, his quoque corporibus medicinam parabis.

§. 268.

HEDERA TERRESTRIS *); gall. *Lievre terreſtre, Terrette;* germ. *Gundermann.* Planta indigena eſt. Odor quodammodo balſamicus, nares ſingulari et acuto paululum ſenſu feriens, aliquantum ingratus, ſapor acriuſculus et amaricans eſt. Ex partibus componitur mucilagineo-terreis, quibus partes, gummoſo-reſinoſis aliquantum ſimiles, vniuntur, in quibus volatilis quaedam ſubſtantia continetur. Vſurpatur inprimis recentis herbae *Infuſum,* vel *Succus* eiusdem *expreſſus.* Vtrumque ſtimulo haud leni, diu tamen non inhaerente, fibram muſcularem afficit, denſitatem humorum aliquantum minuit, oleoſas eorum partes paulo magis actiuas reddit, motum celeriorem efficit, viſcidum morboſum laxum et mobile iam vltro aggreditur, reſoluit et euacuat, nondum reſolutum attenuat, et ad reſolutionem et euacuationem aptum reddit. *Succus* vires Infuſi ſuperat. Vtrum-

*) *Glecoma* (hederatia) LINN. Spec. p. 807. BLACKWELL 225.

Vtrumque, tum Succus tum Infuſum, frigidis, pituitoſis, acidis prodeſt; non aeque ſiccis, macilentis, bilioſis, calidis. Magnam vtilitatem adfert iis, qui ob viſcidum pituitoſum, maſſae ſanguineae inhaerens, obſtructionibus viſcerum, febribus intermittentibus, aſthmati humido et pituitoſo, moliminibus haemorrhoidalibus obnoxii ſunt, vel iisdem morbis laborant. Si vero calida cauſa morbos hos producit, et orgaſmus humorum a bile ſpiſſa et acri vel a defectu partium aquoſarum ſubortus, deprehenditur, laudatam plantam non conuenire, experientia nos docuit.

§. 269.

SCORDIVM *); gall. *Germandrée d'eau, Scordium;* germ. *Lachen-Knoblauch, Scordien.* Planta indigena eſt. Odorem habet ſubbalſamicum, quaſi oleoſum, ſaporem amarum, aliquantum oleoſo-balſamicum. Ex partibus conſtat terreis compluribus, cum mucilagineis aliisque, gummoſo-reſinoſis ſimilibus, coniunctis. Parantur ex ſcordio *Infuſum* et *Decoctum* et *Extractum aquoſum* nec non *Eſſentia ſpirituoſa.* Cum Aceto etiam digeſtum remedium ſat laudabile praebet.

§. 270.

CHAMAEDRYS **); gall. *Germandrée;* germ. *Gamanderlein.* Planta indigena eſt. Odorem habet lenem balſamicum, ſaporem amarum, itidem balſanicum.

*) *Teucrium* (ſcordium) LINN. Spec. p. 790. BLACKWELL 475.

**) *Teucrium* (Chamaedrys) LINN. Spec. p. 790. BLACKWELL 180.

micum. Ex partibus componitur terreis, quibuscum partes gummoſo-reſinoſae amaricantes commixtae ſunt. Paratur ex hac herba *Infuſum aquoſum*, praeter partes amaricantes ſubſtantiam balſamicam continens; paratur etiam *Decoctum aquoſum* maiori amaritie donatum, balſamica vero ſubſtantia maximam partem deſtitutum.

§. 271.

CENTAVRIVM MINVS *); gall. *Petit Centaurée;* germ. *Tauſendgülden-Kraut.* Planta indigena eſt. Odor nullus deprehenditur, ſapor vero ſat amarus. Praeter terreas partes complures, gummoſo-reſinoſas amaricantes continet. *Infuſum aquoſum* amarum eſt, magis tamen amarum *Decoctum* et *Extractum.* Parant etiam cum Spiritu vini ex hac planta *Eſſentiam*, itidem ſapore amaro inſtructam.

§. 272.

FVMARIA **); gall. *Fumeterre*; germ. *Taubenkropf, Erdrauch.* Odor huius plantae nullus eſt, ſapor vero aliquantum acris, valde amarus. Partes continet gummoſo-reſinoſas acres amaricantes, cum terreis pluribus coniunctas. *Infuſum aquoſum* valde amarum eſt, hoc amaritie ſuperat *Decoctum* et *Extractum; Infuſum vinoſum* intenſe amarum eſt, idemque de *Eſſentia Spirituoſa* dicendum.

§. 273.

*) *Gentiana* (Centaurium) LINN. Spec. p. 332. BLACKWELL 452.

**) *Fumaria* (officinalis) LINN. Spec. p. 984. BLACKWELL 237.

§. 273.

CARDVVS BENEDICTVS *); gall. *Chardon benit.* germ. *Cardobenedicten-Kraut.* Odor huius plantae fere nullus eſt, ſapor intenſe amarus. Partes conſtitutiuae ſunt gummoſo-reſinoſae amarae, cum mucilagineo-terreis compluribus coniunctae. Parantur ex ea *Infuſum* et *Decoctum aquoſum, Extractum, Eſſentia ſpirituoſa* et *Infuſum vinoſum*, quae cuncta inſigni amaritie pollent.

§. 274.

TRIFOLIVM FIBRINVM **); gall. *Treffle de Caſtor, Menyanthe*; germ. *Bieber-Klee, Bitter-Klee, Fieber-Klee.* Planta indigena eſt. Odorem habet leniſſimum, balſamicum, nares quodammodo ferientem, saporem acriusculum, ſatis amarum, non tamen adeo ingratum. Partes fouet gummoſo-reſinoſas, acriusculas, amaras, cum terreis et fere mucilagineo-terreis compluribus coniunctas, in quibus cunctis volatile iſtud balſamicum diſſeminatum haeret. Parantur ex eo *Infuſum, Decoctum* et *Extractum aquoſum, Eſſentia ſpirituoſa* et *Infuſum vinoſum*, quae omnia amara ſatis ſunt. In Infuſo aquoſo et vinoſo nec non Eſſentia acre iſtud et balſamicum deprehenditur, quo fere Decoctum et Extractum deſtituuntur.

§. 275.

*) *Centaurea* (benedicta) LINN. Spec. p. 1296. BLACKWELL. 476.

**) *Menyanthes* (trifoliata) LINN. Spec. p. 208. BLACKWELL. 477.

§. 275.

RADIX GENTIANAE RVBRAE *); gall. *Racine de Gentiane;* germ. *Genzian-Wurzel.* Radix haec, quae ex Heluetia inprimis adfertur, longa, digitum et vltra craſſa, foris ex luteo-fuſca, intus ex luteo-ruſeſcens, inodora et intenſe amara eſt, ſenſumque ſubadſtringentem quaſi in lingua relinquit. Partes continet gummoſo-reſinoſas, amaras, cum mucilagineo-terreis adſtringentibus compluribus coniunctas. Parantur ex hac radice *Infuſum* et *Decoctum aquoſum, Infuſum vinoſum* et *Eſſentia ſpirituoſa.* Cuncta haec intenſe amara ſunt, atque omnibus etiam, praeter Infuſum aquoſum, adſtrictoria vis ineſt.

§. 276.

LVPVLVS **); gall. *Houblon*; germ. *Hopfen.* Planta indigena eſt. Fructus huius plantae, qui in vſu ſunt, ſubſtantiam ſiſtunt, ex multis ſquamis ſibi inuicem impoſitis conſtantem, in quibus paruum ſemen continetur. Odor eorum fortis eſt, caput grauans et quaſi ſtupefaciens, ſapor intenſe amarus. Partes conſtitutiuae ſunt gummoſo-reſinoſae amarae, cum mucilagineo-terreis coniunctae. In omnibus his ſubſtantia illa volatilis, caput gravans, diſſeminata haeret. Paratur ex his *Infuſum aquoſum*, in quo ſubſtantia amara cum volatili ſtupefaciente coniuncta eſt. Paratur etiam

*) *Gentiana* (lutea) LINN. Spec. p. 329. DODON. l. c. p. 342.

**) *Humulus* (Lupulus) LINN. Spec. 1457. BLACKWELL. 536.

etiam *Decoctum*, quod multo magis adhuc amarum eſt, et maximam partem volatili illa ſubſtantia deſtituitur.

§. 277.

ABSINTHIVM *); gall. *Abſinthe*; germ. *Wermuth.* Planta colitur in hortis. Summitates eiusdem in vſu ſunt. Odor fortis, caput grauans, ingratus, nauſeoſus eſt, ſapor intenſe amarus, ingratus, nauſeoſus. Ex partibus conſtant terreis compluribus, quibuscum gummoſo-reſinoſae et oleoſae aethereae commixtae ſunt. Parantur ex ſummitatibus *Puluis, Infuſum* et *Decoctum* et *Extractum aquoſum, Infuſum vinoſum, Oleum aethereum* et *Eſſentia ſpirituoſa.* Omnibus inſignis amarities eſt; Infuſum aquoſum et vinoſum, Oleum aethereum et Eſſentia, praeter amaram ſubſtantiam, alteram illam nauſeoſam et caput grauantem habent, Decoctum vero et Extractum maximam partem ea deſtituuntur, magisque amara ſunt. Recens herba ob ſubſtantiam illam volatilem raro in vſum ducenda eſt, ſed praeſtat bene et rite ſiccata.

§. 278.

Omnia haecce remedia a §. 269 ad §. 277 vſque notata, reſpectu ſubſtantiae amarae eandem vim habent, praeter id, quod iſta vis in aliis maior ſit, in aliis minor. Cum etiam praeter ſubſtantiam hanc amaram in aliis aliae ſubſtantiae deprehendantur, nonnulla quoque in caſu ſingulari ſingularia praeſtant. Igitur omnia, tanquam amara conſiderata, fibrae muſculari ſtimulum non

*) *Artemiſia* (Abſinthium) LINN. Spec. p. 11. BLACKWELL. 17.

non quidem acrem ſed plus minus inhaerentem, applicant, humores attenuant, oleoſas eorum partes magis actiuas reddunt, aquoſas diſſipant, corpus exſiccant et calefaciunt, et viſcidum pituitoſum laxum, aquoſum vel iners vel etiam cum acido coniunctum, reſoluunt, aquoſam humorum tenuitatem non augent, ſed potius minuunt, eosque, actione abſoluta, ad acquirendam denſitatem diſponunt. Quo maior amarities eſt, eo magis id omne praeſtant. Omnia conducunt in morbis chronicis, vbi laxitas ſolidorum et lentor humorum a viſcido pituitoſo copioſo, vel inerti vel acido, exorti ſunt. Hinc in febribus intermittentibus, obſtructionibus viſcerum pituitoſis, vitiis digeſtionis trigidis *Decocta* et *Extracta aquoſa* praeſtantiſſima ſuppeditant remedia. Selectus tamen eorum in dictis morbis faciendus eſt, inque vniuerſum notandum, intenſe amara eo in caſu, vbi cum viſcido inſignis copia aquoſarum partium coniuncta eſt, eligenda eſſe, vbi autem viſcidum minus aquoſum corpusque exſuccum magis deprehenditur, remiſſiore amaritie donata praeſtare. *Infuſa vinoſa* pro ſcopo reſoluendi vix iuuant, et *Eſſentiae ſpirituoſae*, per ſe exhibitae, nunquam reſoluunt, ſed exſiccant, §. 148. et aquoſas partes conſumendo gluten et humores tenaciores reddunt, hinc ſaepe roborantium vices gerunt. Cum reſoluentibus vero coniunctae horum vim minus relaxantem corrigunt, ipſae autem nimiam ſuam vim exſiccantem deponunt, ſicque medicamenta, inter reſoluentia et roborantia media quaſi, largiuntur. Caeterum omnia amara externe quoque ad depuranda et abſtergenda vlcera inueterata

terata et mali moris multum iuuant, inprimis ſi viſcida materia ineſt, et ſolida nimis laxa ſunt. De vi amarorum antiputrida et anthelminthica ſuo loco plura dicemus.

§. 279.

Differunt eadem haecce remedia pro diuerſa adiunctarum partium indole. Sic *Infuſum ſcordii* breui actionem abſoluit et non, niſi in morbis, vbi viſcidum jam attenuatum et mobile eſt, et prae reliquis in morbis acutis iuuat. *Infuſum* et *Decoctum Chamaedryos* diu in corpore non commoratur, et prodeſt, ſi viſcidum tenaciſſimum oleoſo-acidae indolis in ſubtiliſſimis vaſculis haeret. *Decoctum* et *Extractum Centaurei minoris*, quod praecedentibus diuturniores, ſequentibus autem breuiores moras nectit, et fibram non adeo ſollicitat, ſi amara indicantur, debilioribus nec adeo aquoſis prodeſt, immo remiſſius multo eſt eiusdem *Infuſum*. *Fumariae* et *Cardui benedicti decocta* et *extracta* diu in corpore commorantur, fortius, quam praecedentis herbae praeparata, operantur, corpus aeque ac viſcidum morboſum fortius aggrediuntur et corporibus, viſcido aquoſo plenis ſimulque acidum fouentibus, conducunt. *Trifolii fibrini Decoctum* et *Extractum* reliquis profundius penetrant, diu in corpore commorantur, fibram muſcularem viuido ſatis ſtimulo irritant et viſcidum copioſum ex intimis eruunt: inde proſunt, vbi humores ob irritabilitatem nimis imminutam et ob copioſas inhaerentes partes viſcidas nimis languent. Diutiſſime inter omnia in corpore moras nectunt *Decoctum*

et *Extractum Abſinthii*, corpus efficaciſſime exſiccant, viſcidum pituitoſum copioſum reſoluunt, et corpus magis ac reliqua ſollicitant. *Infuſum* eiusdem *aquoſum* reſoluit quidem ſed ob inhaerentem ſubſtantiam narcoticam pro reſoluendi ſcopo vix propinatur, et circumſpecte ſemper vſurpandum eſt. *Lupuli Infuſum* et *Decoctum* in medicina raro adhibentur, ſed cereuiſiae adduntur. Notandum autem eſt, ea hanc ob cauſam addi, quo vis cereuiſiae nimium reſoluens, relaxans et refrigerans corrigatur et impediatur, quo minus ea aceſcat. Si Infuſum tantum additur, cereuiſia ſemper magis inebriat, ſin autem decoctum adiungitur, vis magis exſiccans et roborans et calefaciens cereuiſiae communicatur. *Gentianae* demum *Decoctum* et *Infuſum* minus quam reliqua reſoluunt, magis exſiccant, reſoluunt tamen, et per ſe vſurpata valent, vbi viſcidum iam attenuatum et mobile eſt, nec vaſis impactum haeret. Plerumque autem, ſi reſoluentia indicantur, aliis reſoluentibus, relaxantibus, adduntur, tuncque egregia medicamenta, ad multos morbos chronicos pituitoſos vtilia, praebent.

§. 280.

FEL TAVRINVM ſeu *Bovillum*; gall. *Fiel de Boeuf*; germ. *Rinds-Galle*. Eſt ſubſtantia fluida, quodammodo ſpiſſiuſcula, odoris aliquantum nauſeoſi, ſaporis ſubdulcis primo et nauſeoſi, poſtea amari. Includitur iſte humor in peculiari veſicula, quae in hepate bonis §. 167 continetur. Ex multa conſtat aqua, cum qua partes oleoſo-ſalinae ſaponaceae coniunctae

ſunt

ſunt, ita conſtitutae, vt partim ad ſapones aceſcentes, partim autem idque praecipue ad alcaleſcentes ſapones commode referri queant. Itaque fel tanquam ſubſtantia, duplicem ſaponem continens, conſiderandum eſt. Stimulum ſat notabilem fibrae muſculari applicat, humores valde attenuat, oleoſas ſalinasque partes acres reddit, motum humorum promouet, eumque, actione abſoluta, aliquantum minuit et ad inteſtinum diſponit. Vſum habet in morbis chronicis, vbi ob bilem, vel mere viſcidam vel acidam vel etiam aquoſam, digeſtio et motus periſtalticus languent, atque hanc ob cauſam cacochymia pituitoſa et infarctus viſcerum et lentor humorum producitur. Si nimia humorum aquoſitas eſt, caute propinabis, ſi tenuitas nimia cum calore depaſcente eſt, a felle abſtinebis. In morbis acutis, inflammatoriis, putridis quibusuis et omnibus, vbi viſcidum atrabilarium, aut bilioſum aut rancidum deprehenditur, veneno ſimile eſt. Si nondum inſpiſſatum in vſum ducitur, ſemper recens ſit, neceſſe eſt. Facile enim poſt duos tresue dies putreſcit, tuncque pro remedio non habendum. Inſpiſſatum fel absque corruptione quidem diutius aſſeruari poterit, ſed minorem vim habet.

§. 281.

LIGNVM GVAIACVM, LIGNVM SANCTVM *); gall. *Bois de Gayac*, *Bois ſaint;* germ. *Franzoſen-Holz.* Ex America adfertur. Eſt lignum ponderoſum,

*) *Guaiacum* (officinale) LINN. Spec. p. 546. BLACKWELL. 350.

ſum, coloris fuſci aut nigricantis, odoris in raſpato aliquantum balſamici, ſaporis acris, amaricantis. Ex compluribus componitur terreis partibus, quibuscum et gummoſae et reſinoſae commixtae ſunt. In gummoſis aeque ac reſinoſis, in his tamen praecipue, partes actiuae acres, amaricantes et balſamicae latent. Paratur ex raſura huius ligni *Infuſum* et *Decoctum aquoſum* atque *Reſina*, quae ope ſpiritus vini extrahitur. Cuncta haec ſtimulum acrem, diu inhaerentem, fibrae muſculari applicant, humores inſigniter attenuant, oleoſas acres reddunt, aquoſas conſumunt, viſcidum morboſum reſoluunt, motum humorum intendunt et calorem augent. Proſunt in morbis chronicis, qui a viſcido pituitoſo, laxo, copioſo per totum corpus diſtributo inque ſubtiliſſimis vaſculis haerente, proueniunt, et vbi ob hocce viſcidum, totam maſſam humorum inquinans, inſignis lentor humorum producitur, et ob lentorem ſtagnantes humores viſcidi ſenſim corrumpuntur, inque lentam putredinem degenerant. Semper corpus, ſuccis plenum, requirunt haecce praeparata; ſiccis, macilentis, tenuitate inſigni laborantibus non conducunt, ſaepe nocent. Inſignem vtilitatem praeſtant in morbis oſſium, vbi caries humida et medulla corrupta ineſt. Iuuant in morbis glandularum viſcidis, viſcidisque venereis. Si ex Reſina ligni Guaiaci et Extractis amaris vel ſimilibus reſoluentibus pilulas formaueris, aegrosque his mane et verſus noctem vti, et Decoctum Ligni Guaiaci, multa aqua dilutum, ſuperbibere iuſſeris, ſperatum ſaepe effectum experieris. Praeſtat tamen interdum, Ligno Guaiaco alia mitiora reſoluentia addere,

dere, eiusque efficaciam mitigare. Solum enim nimis acre interdum eſt, nimiumque irritat et reſoluit.

§. 282.

LIGNVM SASSAFRAS *); gall. *Bois de Saſſafras*; germ. *Saſſafras, Fenchel-Holz.* Ex America adfertur. In vſum medicum cedunt radix et cortex. Radix lignoſa eſt, foris ex cinereo ruſeſcens, intus coloris ferruginei, odoris fortis, ſpirituoſo aromatici, ad foeniculum accedentis, ſaporis acriuſculi, dulceſcentis aromatici. Ex partibus conſtat terreis plurimis, quibuscum oleoſae aethereae et gummoſae et reſinoſae coniunctae ſunt. Eadem ratione cortex ſe habet, praeter id, quod vires eminentiores ſint. Parantur ex vtrisque *Oleum aethereum, Eſſentia ſpirituoſa, Infuſum* et *Decoctum aquoſum. Oleum* acre, ſubdulce, aromaticum eſt, *Eſſentia* acris, aromatica. *Infuſum aquoſum* dulceſcens, vix acre, aromaticum tamen eſt, *Decoctum* vero adſtringentem et amarum ſaporem habet. Cuncta haec fibram muſcularem ſtimulo acri irritant, humores attenuant, eorum partes oleoſas et ſalinas magis actiuas reddunt, aquoſas aliquantum conſumunt et viſcidum morboſum reſoluunt et mouent. Proſunt in morbis chronicis frigidis, vbi viſcidum pituitoſum, cum multa aqua coniunctum, maſſae humorum inhaeret, et per totum corpus diſtributum et ad ſubtiliſſima etiam vaſa delatum eſt, obque hanc cauſam laxitas ſolidorum inſignis et lentor humorum producitur. *Oleum* raro

 per

*) *Laurus* (Saſſafras) LINN. Spec. p. 530. BLACKW. 267.

per ſe propinatur, ſed, ad guttas duas tresue cum ſaccharo tritum, potionibus aliis reſoluentibus additur, quarum vim acuit, quibusve ſtimulum acrem ad incitandum motum humorum communicat, ſicque remedia praebet, corporibus, viſcido plenis, maxime proficua. *Eſſentia* vix per ſe pro ſcopo reſoluendi vſurpatur, ſed ad motum, in aquoſis frigidis excitandum, admodum apta eſt. *Infuſum aquoſum,* cum *Decoctio* mixtum, melius operatur, quam abſque eo propinatum. Coniunctis tunc viribus agunt, viſcidum pituioſum aquoſum egregie reſoluunt, ex ſubtiliſſimis vaſculis educunt, abundantem aquam conſumunt, neruorum fluidum excitant, motuque humorum aucto materiam pituitoſam reſolutam partim per diaphoreſin partim per diureſin euacuant. Hinc in morbis oſſium, venereis, catarrhoſis et vitiis lymphae frigidis laudabile medicamen praebent. Iuuant ſemper corpora laxa, pituitoſa, aquoſa, frigida; minus conducunt pituitoſis, ſiccis, nocent atrabilariis, bilioſis, macilentis, calidis. Praeſcribitur pro infuſis et decoctis *Raſura* Ligni aut Corticis, notandum vero eſt, pro infuſo drachmas duas, raro plures, praeſcribendas eſſe: haud raro enim aegrotantes ob ſaporem et odorem reſpuunt, pro decocto vero ad vnciam dimidiam adſcendere licet.

§. 283.

RADIX CVRCVMAE *); gall. *Racine de Curcuma;* germ. *Curcume, Gilbwurz.* Ex India Orientali adfertur.

*) *Curcuma* (longa) LINN. Spec. p. 3. BLACKW. 396.

tur. Eſt radix longa, vel etiam rotunda, ponderoſa, coloris externi luteſcentis, interni flaui, odoris mixti balſamico-aromatici. Partes eius conſtitutiuae ſunt terreae complures, cum oleoſis aethereis, reſinoſis et gummoſis mixtae; camphoratam quoque ſubſtantiam, inprimis recenti, ineſſe, perhibent. Vſurpatur vel in *Puluere* vel paratur ex radice *Infuſum* et *Decoctum aquoſum, Infuſum vinoſum* et *Eſſentia ſpirituoſa.* Haec cuncta ſtimulum acrem fibrae muſculari applicant, oleoſas humorum partes actiuas magis reddunt, aquoſas partes conſumunt, corpus aliquantum calefaciunt et ſiccant, motumque humorum excitant; omniaque etiam, praeter eſſentiam, viſcidum morboſum reſoluunt. In morbis chronicis frigidis vſum habent, inprimis vbi viſcidum pituitoſum copioſum cum irritabilitate imminuta et laxitate ſolidorum coniunctum eſt. *Puluis* omnium diutiſſime in corpore commoratur et in obſtructionibus pituitoſis et glandularum infarctu et inprimis in viſcidis primarum viarum morbis vtilis eſt. Propinatur puluis a ſcrupulo vno ad drachmam dimidiam. *Infuſum* et *Decoctum aquoſum* breuiores moras nectunt et plerumque pulueris actionem adiuuant. *Infuſum vinoſum* prodeſt, ſi viſcidum mobile ſatis eſt et ſolida ſtimulo fortiori, neruos inſimul commouente, egent. Conducit inprimis in digeſtione, a nimia aquoſitate, laeſa. Propinatur hora dimidia aut integra ante prandium. Caue ſemper, ne bilioſis, macilentis et ſiccis haecce remedia exhibeas.

§. 284.

RADIX SERPENTARIAE VIRGINIANAE *); gall. *Serpentaire, Viperine Virginée;* germ. *Virginianiſche Schlangenwurzel.* Ex America aduenitur. Radix eſt fibroſa, tenuis, foris coloris fuſci, intus albi, odoris balſamici, caput aliquantum grauantis, ſaporis acris, amaricantis, aromatici. Ex partibus conſtat terreis plurimis, quibuscum gummoſae et reſinoſae ſat multae, oleoſae vero paucae commixtae ſunt. Parantur ex hac radice *Infuſum* et *decoctum aquoſum* atque etiam *Infuſum vinoſum.* Praeparata haec ſtimulum ſat fortem diuque inhaerentem fibrae muſculari applicant, humores attenuant, oleoſas eorum partes exaltant et actiuas magis reddunt, aquoſas diſſipant, motum humorum excitant et promouent, corpus calefaciunt et ſiccant. Pro ſcopo reſoluendi in morbis duntaxat chronicis propinanda ſunt, et iis quidem vſum habent, vbi ob laxitatem inſignem et ob viſcidum pituitoſum aquoſum lentor tum in ſyſtemate ſanguineo tum etiam neruoſo oboritur, indeque ſpaſmis et lentae putredini, a ſtagnatione viſcidi pituitoſi ſenſim productae, occaſio praebetur. Si viſcidum particulis aquoſis non adeo abundat, neque calor naturalis plane imminutus eſt, *Infuſum* et *Decoctum aquoſum* valent, ſin vero abundantia aquae et calor valde imminutus eſt, *Infuſum vinoſum* praeſtat, idque etiam in morbis inteſtinorum frigidis, aquoſis digeſtionem promouet.

§. 285.

*) *Ariſtolochia* (ſerpentaria) LINN. Spec. p. 1303. BLAKCVET. Oper. Lond. 1720. tab. 148. fig. 5.

§. 285.

RADIX LEVISTICI *); gall. *Racine de Leveche;* germ. *Liebſtoeckel-Wurzel.* In hortis apud nos colitur. Radix craſſa eſt, oblonga, multis fibris donata, coloris ex gryſeo-fuſci, intus flaueſcentis, odoris aromatico-balſamici, ſaporis acris, dulceſcentis, aromatici. Partes eius conſtitutiuae ſunt terreae complures, cum oleoſis aethereis et gummoſis et reſinoſis mixtae. Parantur ex hac radice *Infuſum* et *Decoctum aquoſum* et *Infuſum vinoſum;* acetum quoque vini affuſum cumque laudata radice digeſtum vires extrahit et laudabile medicamen praebet.

§. 286.

RADIX ANGELICAE **); gall. *Racine d'Angelique;* germ. *Angelickwurzel.* Apud nos in hortis colitur. Radix haec capite craſſo donata reperitur, ex quo fibrae minores plurimae exeunt. Color externus ex gryſeo luteſcens eſt, internus albicans, punctulis flaueſcentibus diſtinctus. Odorem habet ſubdulcem quaſi, mixtum balſamico-aromaticum, ſaporem acrem, dulceſcentem, cum amaricante mixtum. Ex partibus conſtat permultis terreis, oleoſis aethereis, gummoſis et reſinoſis remixtis. In vſu eſt *Infuſum* eiusdem et *Decoctum aquoſum* nec non *Infuſum vinoſum.* Acetum quoque vini infundere, praeſtat. Praeſcribitur pro doſi a

 drach-

*) *Liguſticum* (Leuiſticum) LINN. Spec. p. 356. BLACKWELL. 275.

**) *Angelica* (ſylueſtris) LINN. Spec. 361. BLACKW. 496.

drachmis duabus ad vnciam dimidiam. *Infuſum aquoſum* odore balſamico et ſapore itidem balſamico, dulceſcente, amaricante et acriuſculo donatum eſt. Decoctum balſamicis partibus fere deſtituitur, amaricans tamen et magis acre eſt. Multo acrius magisque balſamicum eſt et aromaticum *Infuſum vinoſum;* idem pene dicendum eſt de *Aceto,* praeter id, quod minus acre deprehendatur.

§. 287.

RADIX IMPERATORIAE *); gall. *Racine d'Imperatoire;* germ. *Meiſterwurz.* Ex Heluetia et Stiria adfertur vel apud nos in hortis colitur. Radix eſt, digitum et vltra craſſa, multis nodis obſita, coloris externi ex gryſeo-nigreſcentis, interni albidi, punctulis flaveſcentibus diſtincti, odoris fortis mixti balſamico-aromatici, ſaporis acris, amaricantis. Partes eius conſtitutiuae ſunt plures terreae, cum oleoſis aethereis gummoſis et reſinoſis mixtae. *Infuſa* et *Decocta* ope aquae, vini et aceti parantur; nec contemnendum quoque eſt *Acidum vitrioli* valde dilutum. *Infuſum aquoſum* odore debili oleoſo-balſamico et ſapore leni amaricante, aliquantum nauſeoſo et oleoſo donatum eſt. *Decoctum* magis amarum et aliquantum acre eſt, ſed minus balſamicum et oleoſum. *Infuſum vinoſum* magis acre, amaricans et balſamico-aromaticum eſt. Idem fere de *Infuſo acetoſo* dicendum eſt. Acre etiam eſt et amarum nec minus balſamicum *Infuſum,* cum acido vitrioli paratum.

§. 288.

*) *Imperatoria* (aſtrutium) LINN. Spec. 371. BLACKW. 279.

§. 288.

RADIX CARLINAE *); gall. *Racine de Carline*; germ. *Eberwurz*. Apud nos in hortis colitur, ſponte prouenit in Thuringia, Heluetia, Ducatu Wirtembergico aliisque locis montanis. Radix digitum craſſa eſt, coloris externi gryſei, interni flaueſcentis, odoris fortis mixti balſamico-aromatici, ſaporis dulceſcentis, acris aromatici. Ex partibus conſtat pluribus terreis, cum gummoſis et reſinoſis et oleoſis aethereis mixtis. In vſu ſunt *Infuſa* eiuſdem et *Decocta*, ope aquae et vini parata: adhiberi etiam poſſunt acetum et acida mineralia diluta. *Infuſum aquoſum* ſubſtantiam balſamicam et dulcem et aliquid acris continet; *Decoctum* balſamica iſta ſubſtantia fere deſtituitur, magis vero acre eſt et amaricans. *Infuſum vinoſum* adhuc acrius eſt, amaricans et aromaticum. Idem de aceto fere valet et de eo, quod ope acidi mineralis paratur.

§. 289.

Multum reſpectu partium actiuarum atque etiam virium medicatarum medicamenta haec a §. 285 ad §. 288. vſque recenſita, inter ſe inuicem conueniunt, et gradu fere tantum inter ſe differunt. Omnia fibram muſcularem acriter ſtimulant, humores attenuant, oleoſas eorum partes exaltant et acriores reddunt, aquoſas conſumunt, motum humorum promouent, calorem augent, corpus exſiccant, viſcidum morboſum potenter reſoluunt, neruis amica ſunt, et diu ſatis in corpore commo-

*) *Carlina* (acaulis) LINN. Spec. 1160. BLACKW. 532.

commorantur. Leniorem effectum edit *Radix Leuiſtici*, maiorem *Angelicae*, multo maiorem *Imperatoriae* et maximum inter haec *Carlinae Radix*. *Infuſa* eorum et *Decocta aquoſa* nec non *Infuſa vinoſa* in morbis chronicis conducunt et iis inprimis, qui a laxitate ſolidorum inſigni, viſcido pituitoſo aquoſo copioſo, vel etiam aquoſa humorum colluuie, et inde dependente lentore humorum et torpido influxu fluidi neruei proueniunt. Proſunt etiam in morbis, vbi ob lentorem humorum et ſtagnationem viſcidae materiae in locis partialibus lenta putredo ſuboritur. Hinc in febribus intermittentibus frigidioribus, obſtructionibus viſcerum pituitoſis, viſcidis pectoris et viarum vrinariarum morbis, viſcidis vteri affectionibus multum valent. Si in neruorum morbis, ab aquoſa humorum colluuie et viſcido pituitoſo provenientibus, laudata remedia exhibueris, effectum laudabis. Bene tamen perpendas, ſiccis, bilioſis, macilentis, atrabilariis raro prodeſſe, et niſi alia, conſtitutioni magis conuenientia, adiunxeris, vix vnquam exhibenda. Raro ſola praeſcribuntur, ſed plerumque reſoluentibus aliis mitioribus, immutantibus et demulcentibus ſtimuli loco adduntur. Doſis drachma vna eſt, raro vncia dimidia. *Infuſa acetoſa* vix calida nominabis, minime frigida valde tamen actiua et reſoluentia praeſtantiſſima. Si in morbis acutis, lentor a viſcido pituitoſo, per vim vitae non ſatis ſubigendo, oboritur, neque ob hanc cauſam diureſis aut diaphoreſis bene ſuccedit, vel etiam materies viſcida ad putredinem inclinat, in vtroque caſu viſcidam materiem reſoluendo, et fluidi neruei motum excitando multum praeſtabunt. *Infuſa, ope acidi*

mine-

mineralis parata, reſoluentem vim non habent, ideoque alio loco commodius conſideranda ſunt.

§. 290.

RADIX PIMPINELLAE ALBAE *); gall. *Racine de Pimpenelle blanche;* germ. *Pimpinellwurzel, Bibernell.* In noſtris regionibus ſponte prouenit. Radix longa eſt, pennam anſerinam craſſitie aequans, coloris externi luteſcentis, interni flaueſcentis, odoris in exſiccata debilis, in recenti, ſi raſpatur, fortis, nares acri ſtimulo ferientis, ſaporis primo dulceſcentis, poſtea acerrimi. Partes conſtitutiuae plures ſunt terreae cum mucilagineo-gummoſis, reſinoſis paucisque oleoſis aethereis remixtae. In gummoſo-mucilagineis dulceſcens, in reſinoſis inprimis acris et amaricans ſubſtantia haeret. Parantur ex ea *Decoctum aquoſum, Infuſum vinoſum* et *Eſſentia ſpirituoſa.* Cuncta haec acerrimum ſtimulum, diu inhaerentem, fibrae muſculari applicant, humores inſigniter attenuant, oleoſas eorum et ſalinas partes exaltant et valde actiuas reddunt, aquoſas admodum diſſipant, motum humorum intendunt, viſcidum morboſum reſoluunt et, actione abſoluta, humores attenuatos et actiuos relinquunt. In morbis chronicis conducunt, iis inprimis, qui a nimia laxitate et imminuta irritabilitate ſolidorum et viſcido pituitoſo copioſiſſimo proueniunt. In morbis acutis et inflammatoriis nocent. *Infuſum vinoſum* raro ſolum vſurpatur, ſed radix haec, aliis reſolventibus mitioribus addita, vires eorum auget, ſolum tamen

*) *Pimpinella* (ſaxifraga) LINN. Spec. 378. BLACKWELL. 472.

tamen vſurpatum iſtud infuſum iuuat, ſi materies viſcida copioſa iam mobilis iamque ſtimulo fortiori opus eſt, quo materies iſta vltro moueri et ad euacuationem diſponi debet. *Eſſentia* multo acriores vires habet et potenter reſoluit. Vtilis inprimis ea cenſetur, vbi viſcidum pituitoſum copioſum, cum multa aqua coniunctum, inſignem lentorem humorum producit. Hinc in affectibus nonnullis hydropicis, leucophlegmaticis, arthriticis, rheumaticis et digeſtionis vitiis viſcidis egregii vſus eſt. Idem dicendum eſt de radicis *Decocto aquoſo*, praeter id, quod paulo mitius ſit, et optime in pleriſque caſibus cum eſſentia ſimul in vſum ducatur. Praeſcribitur pro doſi a drachma vna ad duas. Vix per ſe vſurpatur, ſed cum demulcentibus et leniter roborantibus coniungitur. Omnia haec ſiccis, macilentis, atrabilariis, bilioſis nocent. Si viſcidum adeſt, et tamen irritabilitas vix imminuta, caute iisdem vteris, ſi irritabilitas imminuta et tenuitas humorum inſignis eſt, magna cum cura eadem propinabis. Prudens ſemper eſto, ſi iſtis vti velis.

§. 291.

TINCTVRA ANTIMONII TARTARISATA ad producta artis chemicae pertinet. Antimonium nimirum cum alcali fixo vegetabili forti igne funditur, maſſa, vt aqua fluens, in mortarium calefactum effunditur, indurata, adhuc calida tamen, contunditur, et in crucibulum, in quo ſpiritus vini portio continetur, immittitur: poſtea leni calore per aliquot dies digeritur, et liquor, rubro colore tinctus, colatur, et ad vſum in vaſe bene clauſo aſſeruatur. Odor ab eo, quem ſpiritus

ritus vini habet, vix differt, ſapor eiuſdem admodum acris eſt. Particulas ſaponaceas et ſpirituoſas cum alcalinis, ſulphureis et regulinis coniunctas, continet. Acerrime fibram muſcularem ſtimulat, humores inſigniter attenuat, et valde acres et actiuos reddit, aquoſas partes conſumit, neruos commouet, motum humorum intendit, corpus calefacit et ſiccat, et viſcidum morboſum reſoluit. Vſum vnice habet in morbis chronicis, quos viſcidum pituitoſum, aquoſum, vel etiam cum acido coniunctum, abundans et laxitas ſolidorum inſignis et ortus inde lentor humorum produxit, ſi tamen viſcidum, vaſis valde impactum obſtructiones efficit, raro per ſe adhibenda eſt laudata Tinctura, aliiſque remediis cum cautione adiungenda. Si corpora gummoſo-reſinoſa, vel mere reſinoſa, cum hacce Tinctura et oleo quodam expreſſo bene triturantur, maximam partem in aqua ſolubilia euadunt, et medicamenta ſiſtunt, ad multos morbos viſcidos pectoris et viarum vrinariarum et vteri et ad obſtructiones viſcerum pituitoſas vtilia. Eadem fere valent de TINCTVRA ANTIMONII ACRI, quae ex regulo Antimonii, nitro et ſpiritu vini ſecundum methodum, qua praecedens obtinetur, paratur. Acrior eſt, et particulis alcalinis, ſulphureis, et regulinis, fere deſtituitur. Licet autem acrior ſit, in paucioribus tamen morbis cum fructu exhibetur, et niſi inſigni ſtimulo opus eſt, prior ſemper praeſtat. In morbis acutis, inflammatoriis, putridis, bilioſis quibusuis, atrabilariis laudatae Tincturae nocent. Nocebunt etiam in morbis chronicis frigidis, vbi defectus lymphae nutrientis, et marcor corporis, et tenuitas humorum nimia

nimia-

nimiaque ſolidorum irritabilitas eſt. Si in vſum ducuntur, pro doſi guttae viginti ad quinquaginta ſufficiunt, multo tamen vehiculo aquoſo ſemper diluendae alias oris fauciumque excoriationes et inflammationes obſeruabis.

§. 292.

Balsamvm pervvianvm nigrvm; gall. *Beaume noire de Perou*; germ. *Schwarzer peruvianiſcher Balſam.* Ex America adfertur, vbi ex ligno et foliis conciſis arboris cuiusdam *) coctione elicitur. Eſt ſubſtantia fluida, ſpiſſa, coloris ex rubicundo-nigri, odoris grati, balſamici, ſaporis acris, amaricantis, oleoſo-balſamici. Ex partibus conſtat aquoſis, ſalinis acidis, oleoſis aethereis, vnguinoſis et reſinoſis. Stimulum non quidem adeo acrem, aſt viuidum diuque inhaerentem fibrae muſculari applicat, humores attenuat, oleoſas activas magis reddit, aquoſas minuit, nerueum fluidum auget et mouet, motum humorum intendit, corpus calefacit et ſiccat, putredini aduerſatur et viſcidum morboſum reſoluit et ad euacuationem aptum reddit, vel etiam per diureſin educit. Vſurpatur in ſubſtantia vel cum ſaccharo vel cum vitello ouorum tritum, vel ſpiritu vini ſolutum.

§. 293.

terebinthina veneta **); gall. *Terebinthine de Veniſe*; germ. *Venetiſcher Terpentin.* Ex Gallia

*) *Peruifera* LINN. Mat. med. 514.

*) *Terebinthina de Chio*, quae raro in officinis noſtris proſtat, ex arbore fluit, quae dicitur *Piſtacia* (Terebinthus) LINN.

Gallia plerumque ad nos adfertur. Eſt ſubſtantia liquida, ſpiſſa, tenax, coloris ex albido-flaueſcentis, odoris non ingrati, balſamici, ſaporis acris, amaricantis, reſinoſi balſamici. Ex aqua, ſale acido, oleo aethereo, ſubſtantia vnguinoſa et reſina conſtat. Fibram muſcularem acriter ſtimulat, eique diu inhaeret, humores attenuat, oleoſas partes actiuas reddit, aquoſas conſumit, neruos mouet, humorum motum intendit, calorem valde auget, corpus ſiccat, viſcidum morboſum reſoluit, putridum deſtruit, et materiem attenuatam et correctam vel per aluum vel per vrinae vias euacuat. Vſurpatur vel in pilulis vel cum vitello ouorum, vel cum Tinctura Antimonii tartariſata et oleo quodam expreſſo trita, cumque aqua mixta. Doſis, ſi per os ingeritur, a ſcrupulo vno ad drachmam vnam propinatur, ſi per aluum iniicitur, ab vncia dimidia ad integram. Si deſtillationi ſubiicitur, oleum aethereum obtinebis; relicta in vaſe maſſa *Terebinthinam coctam* dat, quae ſi igne vlteriori vrgetur, multis iterum partibus oleoſis orbatur et maſſam duram praebet, quae *Colophonium* dicitur. Haſce ſubſtantias pro ſcopo reſoluendi vix vſurpabis. Balſamica exſiccantia enim ſunt.

§. 294.

LINN. Spec. p. 1455. DODON. l. c. 871. Veneta autem ex arbore obtinetur, quae dicitur *Pinus* (Larix) LINN. Spec. 1420. et Vulgaris prouenit ex arbore, quae vocatur *Pinus* (abies, picea) LINN. l. c.

P

§. 294.

BALSAMVM DE COPAIVA *); gall. *Beaume de Copaiba;* germ. *Balſam von Copaiva.* Ex America adfertur. Eſt ſubſtantia liquida, limpida, quodammodo tenax, coloris aurei, odoris grati, balſamici, ſaporis acris, amaricantis, balſamici. Conſtat ex aqua, acido, oleo aethereo ſubſtantia vnguinoſa et reſina. Acriorem, quam praecedentia, diuque inhaerentem ſtimulum applicat fibrae muſculari, humores attenuat, oleoſas partes expandit et actiuas reddit, aquoſas conſumit, neruos grato ſtimulo afficit et mouet, humorum motum auget, putridum deſtruit, viſcidum morboſum attenuat et per vrinarias vias educit. Pro doſi praeſcribuntur guttae duae, tres ad decem vſque, tunc autem cum ſaccharo aut vitello ouorum triturantur, vt in aqua ſolubile fiat balſamum; vel idem, cum ſaccharo tritum, cum ſpiritu vini digeritur, vt ab eo quidquam ſolui poſſit.

§. 295.

Balſama haec naturalia §. 292. ſeqq. reſpectu virium maximam partem conueniunt, et gradu plerumque et reſpectu vis neruinae quodammodo differunt. Cito per corpus non tranſeunt, reſoluunt, calefaciunt, ſiccant. Temperantius minusque acre et reſoluens eſt *Balſamum Peruuianum,* magis neruinum magisque antiputridum. Calidior et acrior eſt *Terebinthina* et magis reſoluens, neruis tam amica non eſt, antiputrida tamen.

*) *Copaifera* (officinalis) LINN. Spec. 557. IACQVIN. Hiſt. ſtirp. Americ. Vindob. 1763. Tab. 86.

men. Hanc reſpectu indolis calidae et acris et reſoluentis ſtimuli ſuperat *Balſamum de Copaiva*, magis neruinum eſt, neque tamen adeo gratum, vt peruuianum, aſt antiputridum ſatis. Conducunt in morbis chronicis, in quibus viſcidum pituitoſum, aquoſum, copioſum eſt, et vbi ob nimiam laxitatem et irritabilitatem imminutam et debilem influxum fluidi neruei viſcidum nec moueri nec attenuari poteſt. Proſunt, vbi viſcidum pituitoſum, ob ſtagnationem et lentorem humorum ſenſim acrius et putridum quaſi factum, reſoluendum eſt. Hinc in morbis viſcidis pectoris, primarum viarum, viarum vrinariarum et vteri plurimis palmam praeripiunt. Calidis, ſiccis, macilentis, bilioſis parca manu et caute ea exhibebis: iuuant corpora frigida, pituitoſa, aquoſa; inprimis *Balſamum peruuianum* ſenibus conducit. Nocent in morbis acutis, inflammatoriis, atrabilariis, ſiccis. Externe in forma vnguenti aut Emplaſtri ſi applicantur, ad reſoluendos tumores frigidos ad attenuandam materiem vlcerum viſcidam et promouendam ſuppurationem et ad inchoandam conſolidationem multum iuuant. Si vnguenta, balſama et emplaſtra ex his formes, oleoſa et pinguia, quantum fieri poteſt, parca manu addas. Alias minus ſiccant, minus reſoluunt, ſuppurationem nimiam excitant, augent, conſolidationem impediunt. *Terebinthina cocta* et *Colophonium* idem fere praeſtant, ſed multo diutius in corpore commorantur, minus reſoluunt, non adeo calida ſunt, magis tamen ſiccant et in morbis frigidis, aquoſis, etiam putridis vtilia cenſenda ſunt. *Terebinthinae oleum* inter haec calidiſſimum

mum eſt, et raro interne pro ſcopo reſoluendi exhibetur: inſigniter enim humores mouet, exaltat eos, exaeſtuat et viſcidum non, niſi motu humorum inſigniter excitato, ad reſolutionem diſponit. Si tamen guttae aliquot cum ſaccharo terantur et, vbi viſcidum mobile iam eſt ſimulque inſignis humorum aquoſitas et ſolida ſtimulum ferunt, eaedem propinentur, per vrinae vias cum ſucceſſu materiem morboſam ſubducunt. Caute ſemper exhibebis: ignis eſt.

§. 296.

SAPO VENETVS ad artis chemicae producta pertinet. Paratur ex lixiuio alcalino et oleo quodam expreſſo, oleo inprimis oliuarum, quae ad conſiſtentiam ſolidam vsque coquuntur. Recens paratus colorem variegatum, marmoris inſtar, coeruleſcentem, interſperſis maculis ſtriiſque albis diſtinctum habet. Vetuſtior externe inprimis colore ex luteo-rubeſcente, maculis albis interſperſis notatus cernitur. Odor oleoſus et nauſeoſus eſt, ſapor acris, amaricans et nauſeoſus. Fibram muſcularem acri ſatis ſtimulo afficit, eandemque ſimul relaxat, denſitatem humorum inſigniter minuit, oleoſas eorum et ſalinas partes attenuat et acriores reddit, hinc fluiditatem quidem inſignem producit et motum humorum, a denſitate dependentem, imminuit, ſanguinem tamen acriorem reddendo, promouet et, actione abſoluta, humores diſſolutos cum motu imminuto relinquit. Nunquam itaque in morbis acutis, inflammatoriis et putridis quibuscunque vſum habet, nunquam etiam in morbis, vbi humores nimis tenues

tenues ſunt, conducit, nunquam in nutritionis defectu, a lympha tenui dependente, prodeſt. Egregiam contra vtilitatem praeſtat in morbis chronicis, qui a viſcido pituitoſo copioſo vel plane inerti vel acido proueniunt, inprimis ſi maſſa humorum eo inquinata eſt. Quapropter in viſciditate primarum viarum et obſtructionibus viſcerum quorumcunque et concretionibus pituitoſis multum auxilii fert. Sed ſemper perpendas, ſolida ſapone relaxari et irritabilitatem minui, et humores nimis diſſolui, et ad alcaleſcentem ſtatum diſponi. Per ſe quidem exhiberi poterit, melius tamen operatur, ſi amara et reſoluentia, alcaleſcente ſubſtantia non donata, adiunguntur. Gummoſa et reſinoſa et oleoſa egregie attenuat, et aquae ſolubilia reddit, hinc praeſtantiſſima remedia ad multos morbos chronicos largitur.

§. 297.

GVMMI AMMONIACVM; gall. *Gomme ammoniac;* germ. *Gummi ammoniac.* Ex India orientali adfertur, vbi ex planta, Botanicis nondum ſatis nota, exſtillat. Eſt ſubſtantia ſolida, dura, digitis tractata, molleſcens, foris flaueſcens, intus alba, odoris, caput quodammodo grauantis, balſamici, ſaporis acris et amaricantis. Ex partibus componitur gummoſis et reſinoſis, oleoſo-vnguinoſis quibusdam intermixtis, quae adeo inter ſe inuicem mixtae ſunt, vt partes quaedam gummoſae a Spiritu vini et partes quaedam reſinoſae ab aqua extrahi poſſint. In vtrisque ſubſtantiae illae actiuae acres, amaricantes et balſamicae latent. Stimulum acrem, diu inhaerentem, fibrae muſculari ap-

 plicat,

plicat, eandem aliquantum relaxat, denſitatem humorum minuit, eosdem acriores et calidiores reddit, viſcidum morboſum reſoluit, et ad euacuationem diſponit. In ſubſtantia ſi vſurpatur, diu in corpore moras nectit, et vſum habet in morbis chronicis, vbi ſolida continuo fere ſtimulo irritanda ſunt, et materies viſcida ſenſim reſoluenda eſt. Sin vero materies morbi ſtatim in motum ducenda eſt, et ſtimulus acrior requiritur, *Gummi ammoniacum ſolutum* praeſtat. Pro diuerſa vero ſoluendi ratione diuerſimode agit. Sic ope *Oxymellis ſimplicis* aut *Squillitici ſolutum* in morbis inflammatoriis et acutis, vbi denſitas ſanguinis nimia, ſiccitas partium, et viſcidum tenaciſſimum eſt, conducit; idem etiam valet, ſi viſcidum atrabilarium aut pituitoſum tenax chronicos morbos produxit. Si laxitas nimia cum viſcido pituitoſo, aquoſo, inerti vel acido coniuncta eſt, *Gummi Ammoniacum, Sapone veneto,* aut *Tinctura alcalina ſolutum* iuuat. Interdum, ſi haec illaue menſtrua vel ob ſtimulum vel ob acrimoniam ſingularem adiungi nequeunt, et tamen dictum Gummi ob reſoluentem ſuam, diu durantem, vim neceſſarium eſt, vitellus ouorum iſtud ad agendum aptius promptiusue reddit. Idem etiam vitellus laudatum Gummi eo diſponit, vt externe, vel in forma vnguenti vel in forma emplaſtri applicatum, ad reſoluendos tumores duros et promouendam ſuppurationem multum omnino conferat; ſemper tamen caueas, ne in addendis pinguibus oleoſisue corporibus nimius ſis. Minus enim reſoluit, magis laxat et emollit.

§. 298.

§. 298.

GVMMI SAGAPENVM, SERAPINVM; gall. *Sagapenum*; germ. *Sagapen*. Ex India orientali adfertur, vbi ex planta, Botanicis nondum ſatis nota, exſtillat. Eſt ſubſtantia dura, digitis tractata molleſcens, coloris flaueſcentis, odoris grauis, oleoſo-balſamici, alliacei, ſaporis acris, amaricantis. Conſtat ex partibus gummoſo-reſinoſis, quibuscum vnguinoſae commixtae ſunt, in quibus cunctis et, inprimis in reſinoſis, ſubſtantiae iſtae actiuae recluduntur. Forti ſtimulo diuque inhaerente fibram muſcularem ad agendum ſollicitat, denſitatem humorum minuit, oleoſas partes exaltat et acriores reddit, aquoſas partes expellit, motum humorum accelerat, et, actione abſoluta, reſolutos humores cum ſiccitate et calore relinquit. In morbis chronicis vnice valet, et iis quidem, qui a viſcido pituitoſo copioſo, cum multa aqua coniuncto, et inde orta laxitate ſolidorum proueniunt. Quapropter interdum in obſtructionibus viſcerum aliisque morbis pectoris et viarum vrinariarum pituitoſis inſignes vires exſerit. Vſurpatur in ſubſtantia, cum extractis amaris aliisque remediis in pilulas effictum, vbi lente quidem agit, ſed diu actiuum in corpore haeret. Promtius agit et breuiori tempore actionem abſoluit, ſi, ad methodum §. 297. deſcriptam, cum vitello ouorum vel cum oleo quodam expreſſo et adiuncta inter terendum tinctura quadam alcalina acri, addita demum iterum inter terendum aqua, ſoluitur. Multa ſane cum Gummi Ammoniaco communia habet, ſed multo efficacius eſt. Hinc ad hocce Gummi non, niſi Gummi

 Ammo-

Ammoniaco fruſtra vſurpato, confugiendum eſt. Si lentor humorum et infractus a viſcido inflammatorio aut atrabilario producitur, vel ſi ſolida nimis debilia et ad rupturam prona ſunt, a ſagapeno abſtinendum eſt. Nunquam etiam grauidis iſtud exhibendum eſſe, perhibent. Externe in vnguentis aut emplaſtris ſi applicatur, ad obſtructiones reſerandas quidquam confert. Ingreditur etiam ſuffimigia vterina, quae foeminis pituitoſis, laxis, aquoſis, frigidis ob laxitatem vteri, et eiusdem nec non vaginae prolapſum commendantur.

§. 299.

MYRRHA; gall. *Myrrhe;* germ. *Myrrhen.* Ex Arabia, Aegypto aliisque regionibus orientalibus adfertur. Arbor, ex qua exſtillat, nondum ſatis innotuit. Eſt ſubſtantia dura, compacta, leuis, ſplendens, fragilis, tactu quidem pinguis quaſi, ſed digitis nequaquam adhaerens, coloris ex rubeſcente fuſci, intus, ſi diffringitur, punctulis ſtriisque albidis notata, odoris fragrantis, balſamici, ſaporis acriuſculi, amari, quodammodo nauſeoſi. Haec *Myrrha electa* vocatur et genuina eſt, aliae ſpecies viliores ſunt et ſaepe pro genuinis non habendae. Hinc ſi in vſum vocatur, ad haſce notas reſpiciendum eſt; alias effectus laudabiles ſperari vix poſſunt. Conſtat Myrrha bonae indolis ex pluribus partibus gummoſis, paucioribus reſinoſis, pauciſſimis oleoſis, cum aliquibus terreis remixtis. Vſurpatur *Myrrha* vel *in ſubſtantia* vel paratur ex ea *Extractum Myrrhae aquoſum, Oleum Myrrhae per deliquium* ſeu ſic dictum *Liquamen Myrrhae,* tandem *Eſſentia Myrr-*

Myrrhae. Alia praeparata non nominamus, per deſtillationem tamen *Aqua* parari poterit, quae contemnenda non eſt. *Myrrha in ſubſtantia* vſurpata ſtimulum non adeo acrem quidem, ſat fortem tamen diuque inhaerentem, fibrae muſculari applicat, denſitatem humorum minuit, oleoſas partes inſigniter expandit et valde actiuas reddit, aquoſas partes copioſas diſſipat, motum humorum intendit, auctumque diu relinquit, corpus exſiccat et calefacit. Vſum habet in morbis chronicis, vbi lentor humorum inſignis a viſcido pituitoſo copioſo, cum multa aqua coniuncto, et inde dependente laxitate ſolidarum partium earumque irritabilitate imminuta producitur, et calor naturalis multum imminutus deprehenditur. Hinc ſub hisce conditionibus in obſtructionibus viſcerum chronicis, digeſtione laeſa, inprimis ſi bilis ſpiſſa, acida digeſtionem turbat, et in morbis viarum vrinariarum et pectoris Myrrha, cum extractis amaris aliisque reſoluentibus in pilulas redacta, egregiam vtilitatem praeſtat. Mitius agit, caeterum eundem vſum habet *Extractum Myrrhae aquoſum*, quod inprimis Myrrhae, in ſubſtantia exhibendae, eo in caſu antecellit, vbi praeter vim reſoluentem remedium abſtergens, depurans, antiputridum requiritur; quapropter in morbis pulmonum inprimis eligendum eſt. Myrrha enim, in ſubſtantia vſurpata, licet egregiam vim antiputridam, abſtergentem et depurantem habeat, ſaepe tamen pro hoc ſcopo nimis calida et exſiccans eſt. *Liquamen Myrrhae*, quod ex puluere Myrrhae, diſſecto ouo gallinaceo cocto, remoto vitello, inditur et ad deliqueſcentiam per

 aliquot

aliquot dies in cellam reponitur, externo praeſertim vſui inſeruit et remedium abſtergens, depurans et conſolidans praeſtantiſſimum largitur. Eligatur recens paratum; per aliquot dies enim aſſeruatum putreſcit. *Eſſentia Myrrhae* ad calidiſſima remedia pertinet, motum humorum inſigniter intendit, corpus valde exſiccat et pro ſcopo reſoluendi nunquam propinanda eſt; ſi tamen reſoluentibus vnitur, remedia, in morbis pituitoſis frigidiſſimis valde proficua, habebis. Externe ſi vſurpatur Eſſentia, remedium conſolidans, exſiccans, antiputridum praebet. Cum vero duplex in officinis proſtet Eſſentia, alia cum alcali, alia abſque eo parata, pro vſu externo *Eſſentia Myrrhae abſque alcali* eligenda eſt. *Aqua Myrrhae* reſoluentem vim non habet, ſed egregiam et leniſſimam balſamicam, abſtergentem, antiputridam; hinc omnino commendanda. Monemus tandem, Myrrham eiusque paaeparata pituitoſis, aquoſis, frigidis conuenire, non aeque calidis, bilioſis, ſiccis, plethoricis, atrabilariis, nec vnquam, ſi febris adeſt. Caute etiam vſurpanda ſunt myrrhata, ſi reſolutio humorum adeſt, ſiue ea ab inſigni aquoſitate ſiue etiam a putridis, intus haerentibus, materiis producta fuerit. In morbis acutis, inflammatoriis et bilioſis quibuscunque, calidis nocent. Excellentiſſimum ſane eſt remedium Myrrha, putredini ſemper aduerſum, vim vitalem excitans; niſi vero indolem Myrrhae cum cauſis morborum comparaueris, ab ea abſtinebis.

§. 300.

§. 300.

FVLIGO; gall. *Suye;* germ. *Ruſs.* Eſt ſubſtantia nigra, vel puluerulenta vel ſolida, dura, compacta, interdum ſplendens, odoris empyrevmatici, ſaporis amari, itidem empyreumatici. Sublimatum eſt, quod, per combuſtionem lignorum ſub forma fumi adſcendens, camini lateribus adhaeret. Conſtat ex partibus reſinoſis, gummoſis, oleoſis, ſalinis, iisdemque vel alcalinis vel ammoniacalibus, aquoſis et terreis. Fibram muſcularem ſtimulo ſat forti diuque inhaerente irritat, humores valde attenuat, partes eorum oleoſas aeque ac ſalinas acriores reddit et mouet, aquoſas diſſipat, calorem auget et corpus ſiccat. Conducit in morbis chronicis, vbi ſolida, admodum laxa ſtimulum acrem ſuſtinent, et viſcidum pituitoſum, cum acido coniunctum, reſoluendum eſt. Itaque in digeſtione, ob liquores digerentes, nimis aquoſos aut acidos, laeſa, et glandulis nec non viſceribus, a viſcido pituitoſo et acido obſtructis, iuuat. Aſthmaticis humidis prodeſt, calculoſis auxilium fert, vermibus aduerſatur. Propinatur in forma pilularum: ſoluitur a Sale ammoniaco liquido, ſoluitur etiam a Sale ammoniaco vulgari, ſoluitur demum a lixiuio alcalino. Vtere hiſce remediis, fulginem laudabis.

§. 301.

Ad reſoluentia demum, quae calefaciunt et optimo cum fructu vſurpantur, referri quoque poſſunt FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES. Parantur ii ex ſale ammoniaco et limatura martis per ſublimationem. Sapor eorum admodum acutus, ſalſus et adſtrin-

adſtringens eſt. Conſtant ex partibus ſalinis mediae indolis, aliquibus alcalicis volatilibus, martialibus reſolutis, martialibus aliis, nondum mutatis. Stimulum valde acrem, neque tamen diu inhaerentem, fibrae muſculari applicant, ideoque ad motum viuidiorem diſponunt, huius vero ſtimuli actione abſoluta, alio, ad conſtrictionem diſponente, fibram muſcularem afficiunt, tuncque motas glutinis particulas figunt, et fibram roboratam relinquunt. In humores agunt reſoluendo, denſitatem eorum primo minuunt, oleoſas partes attenuant, acriores reddunt et mouent, aquoſas diſſipant et, actione hac abſoluta, humores ad recuperandam denſitatem et inde oriundum calorem et motum humorum diſponunt. Itaque laudati flores ſtimulant, reſoluunt, mouent, roborant, ſiccant, calefaciunt. Vſum habent in morbis chronicis pituitoſis, ſed iis tantum, vbi ſolida valde laxa ſunt, et viſcidum pituitoſum cum multa aqua coniunctum eſt; ſi viſcidum pituitoſum tenax deprehenditur, non iuuant, ſed potius nocent. Si humores nimis reſoluti ſunt, ſi calor auctus eſt, ſi febris vel minima, certo nocent. Nunquam valent in morbis calidis, bilioſis, atrabilariis, exſuccis; nocent certe, ſi ſolida debilia, ad rupturam prona, ſtimulum ferre nequeunt. Si humores nimis tenues ſunt, dicti flores, aliis amaris exſiccantibus prudenter iuncti, egregii vſus ſunt. Dantur pro doſi a granis aliquot ad ſcrupulum dimidium et vltra. Si vſurpes, cautus eſto.

§. 302.

Omnia haec a §. 239 ad §. 301. vſque recenſita remedia praecipua ſunt, quae pro ſcopo reſoluendi propinantur;

pinantur; ſed permulta adhuc dari, reſoluente vi donata, negandum non eſt. Sic omnia *Vomitoria* et *Purgantia* in parua doſi ſi vſurpantur, reſoluunt et, cum ex particulis adeo ſubtilibus maximeque actiuis conſtent, miranda ſaepe praeſtant. E. g. in obſtructionibus viſcerum pituitoſis, ſi vomitoria in ea doſi propinantur, vt nauſeam quidem ſed nullum vomitum moueant, et vſus eorum per plures dies continuatur, egregie reſoluunt et auxilium ſaepe, aliis fruſtra tentatis, ferunt. Inprimis *Ipecacuanham*, in paucioribus caſibus *Tartarum emeticum*, laudabis. Si purgantia in ea doſi exhibentur, vt aluum neutiquam ducant, reſoluentia praeſtantiſſima ſunt et maxime vtilia, vbi ob irritabilitatem imminutam inſignis lentor humorum obſeruatur. *Rhabarbarum* praecipue, *Aloë* et varia vtriuſque praeparata vſus inſignis ſunt. Notandum tamen eſt, ab his et vomitoriis abſtinendum eſſe, vbi ataxia ſpirituum cum viſcidis morbis coniuncta deprehenditur. Praeterea quoque reſoluentem vim exerunt *Diuretica, Diaphoretica, Saliuantia, Emmenagoga* multa, ſed aptius ea pro ſcopo euacuandi exhiberi, putamus.

§. 303.

Reſtant alia reſoluendi facultate donata, a nobis nondum nominata, quae vero a nonnullis paſſim laudantur. Praecipua ſunt 1) *Herba Agrimoniae;* 2) *Betonicae;* 3) *Veronicae,* quae ob leniſſimam ſubſtantiam amaricantem lenem quoque vim reſoluentem cum exſiccante coniunctam obtinent; 4) *Herba Capillorum Veneris,* dulceſcentem, cum mucilaginea coniunctam,

fouet

fouet ſubſtantiam, et ob lenem vim reſoluentem et relaxantem in pectoris inprimis morbis vſurpatur; 5) *Radix Vincetoxici,* bonae indolis, inſignem vim reſoluentem habet et hydropicis commendatur, ſed a nonnullis pro ſuſpecta habetur; 6) *Radix Eryngii montani recens* ſubſtantiam dulceſcentem, cum acri coniunctam, fouet et ob reſoluentem vim in viſcidis morbis inprimis pectoris et viarum vrinariarum commendatur; 7) *Radix Olsnitii recens* cum Radice Leuiſtici ſaepe comparatur, et ob particulas dulceſcentes acres, cum amaricantibus commixtas, vim reſoluentem habet. 8) *Radix Ireos florentinae,* praeter particulas acres reſoluentes, alias quoque volatiles, grato odore violaceo praeditas, continet, et in pituitoſis pectoris et viarum vrinariarum morbis nec non carie oſſium humida laudatur. 9) *Radix Pareirae brauae,* ſubſtantiam dulcem, cum amaricante coniunctam, habet, et in humidis viſcidisque pectoris et viarum vrinariarum morbis ob vim reſoluentem, cum exſiccante coniunctam, vſurpatur. 10) *Gummi Bdellium,* quod ad corpora gummoſo-reſinoſa refertur, multa cum Myrrha communia habet, ſed maiorem vim exſiccantem, minorem contra balſamicam, obtinet. 11) *Sal Ammoniacum fixum,* quod ex reſiduo poſt deſtillationem ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua parati obtinetur, hactenus minus vſitatum remedium eſt, forſan vero in morbis viſcidis viarum vrinariarum proficuum eſt, et ad reſoluendas concretiones calculoſas quidquam confert. 12) *Nitrum cubicum,* quod ex alcalina baſi ſalis communis et acido nitri obtinetur, vim reſoluentem habet, et in non nullis morbis

bis pituitoſis ſingulares forte vires obtinet. 13) *Oleum animale Dippelii,* quod per reiteratam rectificationem Olei Cornu Cerui aut alius partis animalis obtinetur, potentiſſimum reſoluens calidum eſt, inque morbis neruorum frigidis non ſpernendum quidem ſed caute adhibendum eſt. 14) *Sulphur viuum* tanquam reſoluens in morbis viſcidis pectoris et glandularum aliisque lymphae vitiis laudatur, ſed ſaepe effectu laudabili deſtituitur. Alia plura praeterimus nec pro ſcopo reſoluendi commendamus; alia, vi reſoluente omnino inſtructa, ſed pro peſſimis venenis ſemper habenda, vt *Arſenicum album* aliaque arſenicalia, prorſus relegamus.

CAPVT III.

Immutantia.

§. 304.

Licet ſub Immutantis remedii nomine omnia forte medicamenta intelligi poſſint, cum omnia corpus morboſum mutent, et vel in integrum reſtituant vel ad recuperandam ſanitatem idem diſponant, ea tamen hic intelligimus, quae in acrimonias humorum agunt easque ita mutant, vt eae vel minus efficaces euadant, vel plane deſtruantur priſtinamque indolem exuant. Cum itaque alia acres partes tantum obducant, et humores quaſi mitiores reddant, alia autem indolem mutent nouamque prorſus mixtionem, morboſae contrariam, inducant, Immutantia remedia in *Inuoluentia* et *Corrigentia* diuidimus.

DIVISIO

DIVISIO I.

Inuoluentia.

§. 305.

Inuoluentia ſunt, quae omni odore et, praeter ſaporem mucilagineum aut pinguem oleoſum, omni alio deſtituuntur, et ſolidas corporis partes adeo obducunt humorumque partes acres ita obvelant, vt irritabilitas imminuatur et ſenſiles partes eo diſponantur, vt dolor minus percipi queat. Conſtant eiusmodi remedia ex partibus terreis, vel cum mucilagineis vel cum his et oleoſis aut aquoſis commixtis: hinc earum ope, cum inertes ſint et fere immotae et glutinoſae admodum, activorum vis et efficacia, tum ob impeditum motum tum etiam ob imminutam potentiam multum imminuitur. Quo facto vires corporis, vltro non ſollicitatae, colliguntur, et ad ſubigendam et expellendam acrimoniam aptiores fiunt. Pertinent ad haecce remedia 1) *Gelatinoſa;* 2) *Mucilaginea;* 3) *Gummoſa quaecunque inſipida;* 4) *Olea expreſſa vnguinoſa;* 5) *Butyrum recens non ſalitum;* 6) *Terrae pingues.*

§. 306.

Ad Gelatinoſa, quae optimo cum ſucceſſu pro ſcopo inuoluendi vſurpari poſſunt, *Serum lactis* §. 172 et 174; *Lac animalium* §. 121 et 171; *Gelatinas* et *iuſcula animalium* §. 173; nec non *Gluten animalium* §. 230 referimus. Haec, quae vel emollientem vel nutrientem vel etiam incraſſantem vim habent, vt ſuo loco oſtendimus, etiam humorum acrimonias inuoluunt. Variant

tamen

tamen et maiorem minoremue effectum edunt, provt indoles eorum gelatinoſa ſe habet. In genere quidem ad inuoluendam et obtemperandam acrimoniam acidam multum valent. Si nimirum dicta acrimonia in ſecundis viis haeret, nec adeo abundat, ſerum lactis dulce vel Lac vel etiam iuſcula carnium fere inſipida, acrimoniam adeo inuoluunt, vt lympha nutriens multo melius elaborari et apponi demum poſſit. Si eadem acrimonia nimia eſt, et in primis viis praecipue vel etiam in toto corpore abundat, et corpus ſollicitat, Gelatinae animalium, aliis medicamentis ſimul in vſum ductis, egregie conducunt. Si in primis viis acrimonia vrget et deiectiones copioſas cum doloribus inſignibus producit et diarrhoea, colliquatiua fere, adeſt, animalium gluten contemnendum non eſt.

§. 307.

Ad Mucilaginea, quae optime inuoluunt, pertinent *Decocta Seminum cerealium integrorum* §. 228. *Decoctum Radicis Graminis* §. 227. *Decoctum Maluae* §. 125. *Decoctum Scorzonerae* §. 160. *Decoctum Althaeae* §. 126. *Decocta Seminum cerealium excorticatorum* §. 228. *Pulmenta* eorum, et inter Gummoſa prae reliquis *Gummi Arabicum* §. 229. Haec cuncta acrimoniam fere quamcunque et acidum quoque, licet acidas particulas profunde recludant, inuoluunt. Si acrimonia, quaecunque ſit, non adeo copioſa humoribus ineſt, Decoctum ſeminum cerealium integrorum et Radicis Graminis et Foliorum Maluae praeſtat; inprimis ea in morbis acutis et inflammatoriis inque morbis chronicis, vbi lympha

tenuis eſt, et acrimonia in ſubtiliſſimis vaſculis haeret, praeſtant. Si acrimonia copioſior ſolidas partes adeo irritat, vellicat, rodit, ſimulque nutritio inde laeditur, Decocta Radicis Scorzonerae, Althaeae et Seminum cerealium excorticatorum et Emulſiones Seminum valent. Iuuant inprimis in morbis pectoris, viarum vrinariarum, et primarum viarum, ſi humores nimis tenues et acres dolores et ſpaſmos et motus fere conuulſiuos producunt. Si acrimonia nimia fluxus aluinos copioſiſſimos, tenues, efficit et vires fere frangit, Decocta eorum ſpiſſiora, immo Pulmenta, ex farinis cerealium parata, et Gummi arabicum proſunt. Si Venena ingeſta fuerint, eadem Decocta praeſtantiſſimum auxilium ferunt.

§. 308.

Inter Vnguinoſa *Vitellus ouorum* inprimis §. 133. *Oua Sorbilia* §. 170 et 174. *Cera flaua* §. 132. *Butyrum recens* et, inter olea expreſſa, *Oleum Amygdalarum dulcium* §. 53 et 134. praecipue eminent. Oua Sorbilia in morbis primarum viarum, ſi acida acrimonia diarrhoeis, doloribus, ſpaſmis et excoriationibus inteſtinorum anſam praebet, egregie proſunt: idem fere praeſtat Vitellus ouorum, cum oleo Amygdalarum dulcium mixtus. Valet etiam hocce remedium, vbi pectus ob tuſſim acrem nimis fatigatur et vrinariae viae ab vrina acri nimis roduntur. Si Ceram, leni igne liquefactam, cum oleo expreſſo commiſcueris, et per triturationem vitellum ouorum adiunxeris, et auenae excorticatae Decoctum adfuderis, in morbis inteſtinorum, vbi tenuitas humorum, cum acrimonia iuncta, dolores, excoriationes

et

et diarrhoeas continuas producit, egregium medicamen obtinebis, ſiue iſtud per os ſiue per anum introduxeris. Si venena ingeſta fuerint, a Butyro recenti aut oleo expreſſo leniſſimo, cum Decocto farinaceo copioſe ingeſto, et per clyſma iniecto, plurimum iuuamen habebis. In morbis acutis et inflammatoriis, et biliosis et atrabilariis, ſi inuoluentia indicantur, memorata remedia, per os ingeſta, certo nocent, per anum introducta ſaepe proſunt.

§. 309.

Inter Terras pingues prae reliquis eligenda eſt BOLVS ARMENA. Eſt ea ſubſtantia ſolida, pallide rubra, tactu pinguis, friabilis, inodora, et ſapore fatuo, exſiccante, leniter adſtringente donata. Ex particulis argillaceis conſtat, cum ſubſtantia martiali remixtis. Fibram inteſtinalem leniſſime adſtringit, aquae valde cupida eſt, hinc quoſcunque humores acres, tenues, fluidos, in primis viis hoſpitantes inuoluit et minus efficaces reddit. Ad ſecundas vias vix tranſit, vſumque inprimis in fluxibus aluinis diuturnis acribus habet. Licet autem peculiare quid non habeat *Bolus*, eaque ſine detrimento carere poſſint medentes, terreum tamen hoc medicamentum, cum interdum remedia in dictis morbis in forma ſolidiore praeſcribenda ſint, adhuc tolerari poterit, inprimis cum ob leniter exſiccantem vim, cum adſtringente et inuoluente coniunctam, indicationi, in fluxibus aluinis explendae, pene ſatisfaciat. Ope aquae adfuſae Bolum pulueriſatam a partibus arenoſis depurant, iterumque exſiccant, ſicque *Bolum praeparatam* vocant. Aliae terrae pro ſcopo involuendi inutiles ſunt.

DIVISIO II.

Corrigentia.

§. 310.

Corrigentia Medicamenta ſunt, quae acrimoniam, humoribus inhaerentem aut admixtam, inuertunt nouamque indolem, a priori diuerſam, inducunt. Efficiunt quidem haec medicamina, vt ſubſtantiae, antea valde actiuae, minus efficaces euadant, nunquam autem easdem eo diſponunt, vt inertes plane fiant agereque deſinant. Saepe enim acrimonia correcta alias quidem vires ſed tales acquirit, vt, niſi expellatur aut alia medicamina efficaciora ſimul addantur, corpus denuo ſollicitetur, nec ſanitas, adhuc labefactata, integra recuperari poſſit. Id tamen ſemper praeſtant dicta remedia, vt, acrimonia deſtructa, vires corporis ſtatim colligantur et ad expellandam acrimoniam mutatam magis aptae euadant, ita vt, ſi aliorum medicaminum ope vltro ſuſtineantur, ſanitas perfecta demum recuperetur.

§. 311.

Conſtant iſta remedia vel ex particulis mere actiuis, vel actiuis cum inertibus coniunctis, vel etiam meris tantum inertibus: cumque eorundem indoles diuerſa et ſaepe prorſus contraria ſit, diuerſi etiam et contrarii obſeruantur effectus. Sic alia putridum, alia acidum, alia ſalſum corrigunt, et vim eorundem vel minuunt vel prorſus infringunt. Licet autem multae et compoſitae ſint acrimoniarum ſpecies, tres tamen claſſes generaliores tantum conſtitui, omnesque acrimoniae in putri-

putridas, acidas, et ſalſas diuidi, totidemque remedia in genere conſiderata, eis opponi poſſunt. Itaque Corrigentia remedia in *Antiputrida*, *Antacida* et *Ea quae Salſam acrimoniam corrigunt*, diuidenda ſunt.

SVBDIVISIO I.

Antiputrida.

§. 312.

Antiputrida ſunt, quae materiem putridam ſeu humores, ad putredinem procliues, corrigunt, vel ſanos eo diſponunt, vt generatio putridi omni ex parte impediatur. Cum autem putredo in motu ſubſtantiae connectentis inteſtino et inde dependente ſalis alcaleſcentis, vel purioris vel impurioris oleoſi, euolutione conſiſtat, atque ad hanc rem bilis, prae reliquis humoribus ad alcaleſcentem et putridam indolem inclinans, multum quoque conferat, ad Antiputrida etiam remedia ſic dicta *antibilioſa* et *antalcaleſcentia* referimus, licet omnia remedia, quae in putrido corporis ſtatu vſurpantur, bili, acri factae, opponi nunquam poſſint. Ad Antibilioſa inprimis pertinent *Acida vegetabilia*, minime auſtera, ad Antiputrida autem *eadem* quidem, ſed alia plura, *Acida* nimirum *mineralia*, *Amara* nec non *Balſamica* referenda ſunt.

§. 313.

MALVM CITREVM *); gall. *Citron*; germ. *Citronen*. Arbor, quae fructum hunc largitur, in Italia, Hiſpa-

*) *Citrus* (medica) LINN. Spec. p. 1100. BLACKW. 361.

Hiſpania aliisque prouinciis calidioribus ſponte creſcit, apud nos in hortis colitur. Fructus iſte pugnum fere magnitudine aequat, cortice luteo, odorem gratum aromaticum, ſaporem aliquantum acrem, amarum, aromaticum habente, veſtitur, et intus pulpam, acido ſapore grato praeditam, recondit. *Succus* huius pulpae expreſſus inodorus et acidus eſt, et ex particulis acidis, cum mucilagineis coniunctis, conſtat. Fibram muſcularem leni ſtimulo, diu non inhaerente, irritat, neque eundem ad motum, ſed ad conſtrictionem inuitat, denſitatem humorum minuit, oleoſas humorum partes exagitatas compeſcit et viſcidum morboſum, mobile et attenuatum, nec non ſtagnantes humores, reſolutos, putreſcentes ad euacuationem per vrinam diſponit vel etiam euacuat. Si Succus eiusdem ad vnciam vnam et vltra cum ſaccharo miſcetur, et aliquot vnciis aquae communis diluitur et ſenſim potatur, idque bis terue per diem repetitur, remedium habebis, in morbis, vbi viſcidum atrabilarium, bilioſum, acre, rancidum et alcaleſcens immutandum eſt, maxime proficuum. Prodeſt inprimis in morbis acutis, inflammatoriis, chronicis bilioſis, melancholicis, hypochondriacis confirmatis et hydropicis, vbi cum acrimonia putreſcente et alcaleſcente viſcidum coniunctum eſt; prodeſt etiam, vbi in febribus acutis et putridis humores iam nimis reſoluti ſunt, dummodo alia, condenſante vi praedita, per eundem diem ſimul in vſum vocentur. Correctam materiem plerumque per vrinae vias educit. In morbis chronicis pituitoſis, acidis, aquoſis et lentis non conducit, iuuat ſemper billioſa, ſicca calida

lida corpora, macilentis, phthiſicis, aquoſis, acidis, languidis plerumque nocet.

§. 314.

Eandem fere vim et efficaciam habent *Cremor* et *Cryſtalli Tartari* §. 82. et 253. *Acetum* §. 70. 81 et 253. *Fructus horaei* §. 163. ſeq. *Oxymel ſimplex* §. 253. quae cuncta ad corrigendam acrimoniam bilioſam, et atrabilariam, et putridam, et alcaleſcentem, et oleoſam rancidam multum valent. Ob oleoſas enim, quas fouent, particulas profundius dictas acrimonias penetrant, hisque arctius ſe vniunt, et adiunctas ſuas partes acidas, multo copioſiores, alcaleſcentibus illis acrimoniarum particulis applicant, ſeque cum his ita immutant, vt acidae remediorum particulae naturam acidam et alcaleſcentes acrimoniarum partes alcalinam indolem deponant, et vtraeque vnitae in ſubſtantiam oleoſo-ſalinam mediae indolis tranſeant. Quo facto, cum moleculae oleoſo-ſalinae, mediae naturae, alcaleſcentibus et acidis multo minus activae ſint, vires naturae iterum ſe colligunt, materiem morbi mutatam vltro ſubigunt et ex corpore expellunt. Summam itaque laudem merentur dicta remedia in febribus acutis et inflammatoriis et putridis, ſi cum acrimonia viſcidum adhuc coniunctum eſt, ſi tamen ob acrimoniam nimis actiuam humores diſſoluti admodum ſunt, laudata quidem remedia iuuant, modo condenſantia et roborantia ſimul in vſum vocentur. Proſunt etiam in morbis chronicis, hypochondriacis, melancholicis, diarrhoeis et dyſenteriis bilioſis, in qui-

 bus

bus vero cunctis, ſi nimia tenuitas adeſt, circumſpecte vſurpanda ſunt. *Mel* §. 131 et 254. et *Saccharum* §. 34 et 254. cum his quidem quodammodo conueniunt, ſed multo inferiora ſunt, et niſi acida iungantur, in dictis morbis per ſe vix ſufficiunt: acidis vero iuncta praeſtantiſſima auxilia ferunt.

§. 315.

ACETOSA *); gall. *Oſeille;* germ. *Sauerampfer,* et ACETOSELLA **); gall. *Oſeille ſauvage, Alleluja*; germ. *Sauerklee.* Vtraque planta indigena eſt, odore deſtituitur et ſaporem acidum habet. Succum continet ex particulis acidis, paucam ſubſtantiam oleoſam in ſinu fouentibus cumque mucilagineis attenuatis coniunctis, conſtantem. Fibram muſcularem leni irritatione afficit, denſitatem humorum minuit, oleoſas eorum partes attenuatas, cum reliquis attenuatis coniunctas, tenet et ſeparatas ad vnionem diſponit, et viſcidum morboſum mobile iam et attenuatum magis adhuc reſoluit et per vrinae vias euacuat. Prodeſt vtriusque plantae ſuccus in morbis, vbi viſcidum bilioſum et atrabilarium reſoluendum et aquae ſtagnantes putridae indolis corrigendae perque diureſin euacuandae ſunt. Si ſuccus eiusdem mane, ieiuno ventriculo, ad vncias duas potatur, et decoctum lene diureticum ſuperbibitur,

in

*) *Rumex* (acetoſa) LINN. Spec. p. 481. BLACKW. 230.

**) Eſt proprie *Oxalis* (acetoſella) LINN. Spec. p. 620. BLACKWELL. 308. Sed apud nos in officinis adhibetur *Oxalis* (corniculata) LINN. Spec. p. 623. MATTHIOL. 600.

in morbis melancholicis et hydropicis multum ſaepe iuuamen adfert.

§. 316.

HERBA COCHLEARIAE *); gall. *Herbe aux Cuillers;* germ. *Loeffel-Kraut.* Planta haec, quae apud nos in hortis colitur, in regionibus borealibus circa littora Maris ſponte et vberrime creſcit. Recens, inprimis ſi digitis conteritur, odorem fortem, ſpirituoſum, nares ſingulari et acuto ſenſu ferientem de ſe ſpargit, et linguae acrem, amaricantem ſaporem inprimit. Conſtat ex particulis mucilagineo-terreis, quibuscum aliae gummoſo-reſinoſis ſimiles, et pauciſſimae oleoſae aethereae, efficaciſſimae tamen, commixtae ſunt. *Succus expreſſus* fibram muſcularem acuto, nec diu tamen inhaerente, ſtimulo afficit et ad motum ſollicitat, minutiſſima vaſcula corporis penetrat, humores attenuat et mouet, viſcidum morboſum, cum putrido coniunctum, potenter reſoluit, corrigit et per vrinam inprimis euacuat. Prodeſt in morbis chronicis, vbi viſcidum pituitoſum maſſae ſanguineae inhaeret, et materies putrida, ob lentorem humorum lente euoluta, per totum corpus vna cum viſcido vaſa etiam minutiſſima intrat, ibidemque obſtructiones parit, ſimul tamen viſcidum naturale et gluten nectens ita peſſundat, vt ſolida ad ſeparationem diſponantur, vel nexus eorum tollatur. Quapropter in ſcorbuto putrido eique analogo ſcorbuto, muriatico, morbisque glandula-

 rum

*) *Cochlearia* (officinalis) LINN. Spec. 903. BLACKW. 227.

rum pituitoſis inſignem vtilitatem praeſtat. Si humores nimis reſoluti iam ſunt, ſuccum Cochleariae cum Acetoſae ſucco coniungere, conuenientiſſimum eſt. Temperantius etiam agit, ſi cum Melle aut Saccharo miſcetur, tuncque remedium ſiſtit, quod optimo cum fructu in hydrope, vbi aquae ſtagnantes ad putrilaginem inclinant, putridum corrigit, viſcidum reſoluit, et diureſin mouet. Si eodem remedio ad depuranda vlcera gingiuarum et oris ſcorbutica vtaris, multum proderis. *Infuſum* Cochleariae *aquoſum* eadem praeſtat, ſed multo remiſſius eſt, et per tempus multo breuius in corpore commoratur. *Vinum Cochleariae*, quod per confermentationem paratur, calidum eſt, valde ſtimulat et monet, nec, niſi in dyſcraſia humorum pituitoſa, ad putridum inclinante, parcius vſurpatum vtile eſt. *Aqua deſtillata*, ſpirituoſo principio foeta, citiſſime per corpus circumfertur, minutiſſima vaſcula penetrat, inque morbis neruorum, a materia putrida lente euoluta productis, non ſine ſucceſſu tentari poterit. Eadem dicenda ſunt de *Spiritu abſtractitio*, praeter id, quod calidior ſit, fortius ſtimulet, humorumque motum magis intendat et corpus exſiccet. Quapropter in morbis duntaxat frigidiſſimis, aquoſis, et vbi ob hanc cauſam lentor humorum inſignis et ataxia ſpirituum oboritur, caute propinandus eſt. Herbae exſiccatae virtus fere nulla eſt, hinc recens ſemper in vſum ducenda.

§. 317.

Cum Cochlearia quodammodo conuenit NASTVRTIVM AQVATICVM *); gall. *Creſſon d'eau*; germ. *Brunnen-Kreſſe*. Praecedente multo remiſſius eſt, neque corpus tam viuide afficit: caeterum eadem praeſtat, inprimis ſi *Succus expreſſus* in vſum vocatur. Conſtat enim ex ſimili principio ſpirituoſo, nares et linguam acriter ſtimulante, et partibus amaricantibus, quae in particulis mucilagineo-reſinoſis ſimilibus et oleoſis ſubtilioribus continentur. Conducit inprimis *Succus* in lymphae vitiis quae a materia viſcida lente corrupta producuntur. Vſurpatur etiam *Herba integra*, cum iuſculis carnoſis cocta, quae ad tollendum lentorem, per hyemem contractum, tempore vernali aliquid confert et materiem putreſcentem corrigit, hancque vna cum viſcido, mobili iam et attenuato per diureſin educit, vel ad euacuationem diſponit. Hanc herbam eiusdemque praeparata in morbis glandularum viſcidis propinare, non poenitebit.

§. 318.

ACIDA MINERALIA etiam ad antiputrida remedia pertinent; inprimis *Acidum* ſeu ſic dictum OLEVM VITRIOLI, quod ex Vitriolo calcinato per deſtillationem obtinetur, et ACIDVM NITRI, quod itidem per deſtillationem, ex Nitro addito acido vitriolico inprimis expulſum, acquiritur, reliquis Acidis, nimirum Acido Salis et Acido Sulphuris praeferri merentur.

*) *Siſymbrium* (naſturtium aquaticum) LINN. Spec. p. 916. BLACKW. 260.

rentur. Laudata Acida fibram muſcularem acriter ſtimulant et ad fortem conſtrictionem diſponunt, humores coagulant et putridum deſtruunt. Concentratiora pro venenis habentur, multa autem aqua diluta medicamenta praebent. Conducunt inprimis in febribus putridis, vbi humores ob putridum inhaerens vel ad diſſolutionem diſponuntur, vel diſſoluti iam ſunt. Melius ſemper operantur, ſi cum melle coniunguntur, et, niſi diſſolutio humorum metuenda ſit, ad obtemperandum aeſtum, in febribus acutis perſaepe obſeruandum, nunquam conducunt, ſed vere nocent. Si putridum cum inſigni viſcoſitate humorum coniunctum eſt, vix vnquam bene propinantur.

§. 319.

Balſamicorum, Aromaticorum et Amarorum vis et efficacia late etiam regnat, eaque potentiſſima ſane et praecedentibus ſaepe potentiora in variis morbis largiuntur remedia antiputrida. Cum enim ex particulis vnguinoſo-reſinoſis conſtent, quibus acidae et amarae nec non balſamicae arctius intertextae ſunt, non ſolum diu ſatis in corpore commorantur, ſed etiam ob memoratam mixtionem putridum profundius eruunt, deſtruunt, euacuant, et, actione abſoluta, recuperandae denſitati humorum, particulis aquoſis conſumtis, anſam praebent.

§. 320.

INFVSVM ACETOSVM BACCARVM IVNIPERI §. 78. HERBAE SALVIAE §. 96. RORISMARINI §. 97. SCORDII §. 269. CORTICVM AVRAN-

RANTIORVM §. 211. RADICIS LEVISTICI §. 285. ANGELICAE §. 286. IMPERATORIAE §. 287. CARLINAE §. 288. ſeq. mane, ieiuno ventriculo, ad vnciam vnam et vltra calide epotum, materiem putridam in febribus putridis, vbi humores inſigniter diſſoluti ſunt, corrigit et per ſudorem perque vrinam euacuat, inprimis ſi ſimul *Infuſum* et *Decoctum aquoſum* CORTICIS PERVVIANI, cum RADICE SERPENTARIAE VIRGINIANAE coniuncti, ſaepius per diem in vſum ducitur. Si tamen nimia eſt diſſolutio, RADICVM ALEXIPHARMACARVM LEVISTICI, ANGELICAE, IMPERATORIAE INFVSVM, cum Acido vitrioli diluto paratum et melle edulcoratum *), praeter memorata remedia, ad guttas decem vel viginti quauis vice potui ordinario admixtum, egregie conducit. Si in febribus putridum cum multo viſcido coniunctum eſt, ROB IVNIPERI vel etiam EXTRACTVM CORTICIS PERVVIANI §. 199. vel CORTICIS CASCARILLAE §. 212. cum *Sale Ammoniaco liquido* mixtum, vtile eſt. Idem remedium maxime proficuum aeſtimatur, ſi ſphacelus, a cauſa interna natus, partes occupat, vbi tamen et *Corticis Peruuiani* et *Serpentariae Virginianae Decoctum* ſimul vſurpari poterit. Externe in ſphacelo, praeter auxilium chirurgicum, in vſum ducenda ſunt *Epithemata*, ex HERBIS AMARIS et AROMATICIS cum *Aceto parata*, ſimulque ALOES §. 63. et MYRRHAE §. 299. *Infuſum aquoſum* copioſe applicandum eſt.

§. 321.

*) Vid. Pharmac. Noſtr. p. 141. §. 175.

§. 321.

ALOES, MYRRHAE, SALVIAE, MATRICARIAE §. 98. RORISMARINI, CHAMOMILLAE §. 123. MILLEFOLII §. 201. NVCIS MOSCHATAE §. 214. SCORDII *Infuſa* aquoſa, cum extractis eorundem mixta, in morbis chronicis, ſi putridum, in vlceribus plerumque natum, humores ſenſim inquinat, caterum corpora laxa, pituitoſa, aquoſa ſunt, inſignem vtilitatem praeſtant. Si corpora ſanguinea, bilioſa et atrabilaria putridum ab vlceribus ſuſcipiunt, eadem remedia absque melle vel oxymelle vel aceto vſurpanda non ſunt. Si vlcera externas partes occupant, et tenui foetidaque materie ſcatent, *Eadem Infuſa,* inprimis MYRRHAE, ALOES, SALVIAE et SCORDII egregiam vim corrigentem oſtendunt. Minorem vim habent *Infuſa aquoſa* PLANTARVM AMARARVM, CENTAVRII MINORIS §. 271. FVMARIAE §. 272. CARDVI BENEDICTI §. 273. TRIFOLII FIBRINI §. 274. ABSINTHII §. 277. ſeq. flocci tamen pendenda non ſunt, inprimis ſi cum balſamicis ſimul adhibentur.

§. 322.

Praeſtantiſſima demum antiputrida, tum externa tum interna, dant BALSAMVM PERVVIANVM NIGRVM §. 292. TEREBINTHINA §. 293. BALSAMVM de COPAIVA §. 294. ſeq. quae in morbis chronicis, vbi putridum, vel ab vlceribus vel aquis ſtagnantibus natum, humores peſſundat, excellentiſſima auxilia ferunt. Si cum vitello ouorum aut cum oleo quodam

quodam expreſſo et Tinctura antimonii tartariſata triturantur, laxa, pituitoſa, aquoſa corpora in dictis morbis iuuant, ſi cum ſaccharo teruntur, etiam ſanguineis, cholericis, ſiccis, calidis, vbi alias circumſpecte vſurpanda ſunt, in iisdem morbis conducunt, parcius tamen propinanda. Saepe etiam cum ſaccharo trita et ſpiritu vini digeſta corporibus ſpongioſis, laxis, aquoſis, frigidis laudabile antiputridum praebent remedium. Externe ad vlcera foetida multum valent, ſique vlcera in oſſibus naſcuntur, ſub cariei nomine nota, haecque ſicca eſt, eadem iuuant, tuncque etiam et *Infuſum Myrrhae* et *Aloes aquoſum* proſunt; ſin vero humida eadem, *Eſſentia Myrrhae* et *Aloes* et *Balſami Peruuiani ſpirituoſa* et *Colophonium* et *Terebinthina cocta* §. 293. adhibenda ſunt.

SVBDIVISIO II.

Antacida.

§. 323.

Antacida ſunt, quae acidum in corpore euolutum vel cum viſcido coniunctum deſtruunt. Alia eorum ex particulis mere inertibus conſtant, lubentiſſime tamen cum acido coniungi ſe patiuntur, alia autem particulas vel plane actiuas vel easdem cum aliquibus inertibus coniunctas fouent, corpusque inſimul ita afficiunt, vt vires, ab iisdem excitatae, acidum morboſum ſubigant, et mutatum facili negotio expellant. Pertinent ad haec remedia terrae quaedam, abſorbentes

tes, alias alcalinae vel calcariae dictae, alcalia fixa et volatilia, ſucci plantarum lacteſcentes, plantae amarae, et ſapones alcaleſcentes, quae cuncta neutiquam pro lubitu, ſed pro varia conſtitutione corporis proque diuerſa acidi, vel liberioris vel nondum euoluti, cumque aliis ſubſtantiis mixti, indole eligenda ſunt.

§. 324.

Inter innumeras, quae ad corrigendam acrimoniam acidam commendantur, terras, paucae tantum valent, et prae reliquis notari merentur *Magneſia alba, Lapides Cancrorum*, et *Conchae ſine igne praeparatae.* MAGNESIA ALBA puriſſima terram ſiſtit leuem, albam, inſipidam, inodoram, in acidis plane ſolubilem, obtinetur ea ex lixiuio, poſt cryſtalliſationem Nitri ſuperſtite. Lixiuium enim vel ad ſiccitatem vſque euaporatur et maſſa relicta calcinatur, vel eidem lixiuio, nondum euaporato, ſalis alcalini fixi ſoluti portio additur, quo facto puluis albus praecipitatur, qui, aqua elotus et exſiccatus, ſtatim aſſeruatur, vel adhuc calcinatur. Vſum habet *Magneſia*, vbi acidum abundans in primis viis hoſpitatur; ſi in ſecundis viis idem regnat, nihil ſane praeſtat. Cum vero iners medicamentum ſit, diu eiusdem uſus continuandus non eſt, ſed purgantia ſaepe interponenda ſunt; alias digeſtionem turbat, et concretionibus duris, inteſtinalibus, anſam haud raro praebet. Si viſcidum cum acido ſimul coniunctum reperitur, ab eo abſtinebis.

§. 325.

LAPIDES CANCRORVM, falſo Oculi dicti; gall. *Yeux d'Ecreviſſes;* germ. *Krebs-Augen.* Sunt ſubſtantiae, in ſtomacho cancrorum fluuiatilium reperiundae, ſolidae, durae, albae quodammodo coeruleſcentes, ex vna parte conuexae, ex altera compreſſae, ex lamellis ſibi inuicem ſuperincumbentibus compoſitae, odoris nullius, ſaporis fatui. Conſtant ex particulis mucilagineis quibusdam, cum terreis compluribus commixtis. In acidis leuioribus integri non ſoluuntur, hinc etiam virtus eorundem abſorbens Magneſiae albae virtute abſorbente minor eſt, ſi tamen acidum in primis viis euolutum regnat, admitti interdum poſſunt, et eadem, quae de Magneſia diximus, obſeruanda ſunt. Praeſcribuntur *Lapides praeparati*, id eſt Lapides, qui, ſuper marmor in ſubtiliſſimum puluerem triti cumque aqua mixti, in maſſam ſpiſſam abeunt, poſtea exſiccandam. Plerumque aliis, maxime generoſis, remediis pro baſi inſeruiunt. Idem valet de *Conchis Fluuiatilibus* quae domicilia ſiſtunt dura, oblonga vel etiam rotunda, foris coloris gryſei, intus albidi ſplendentis. Eadem ratione vt Lapides cancrorum praeparantur et eiusdem vſus ſunt.

§. 326.

Inter Alcalia fixa pro vſu medico eminet SAL TARTARI, quod ex capite mortuo, poſt deſtillationem Tartari relicto, ope aquae elixatur, euaporatur et calcinatur. Odor quodammodo vrinoſus eſt, ſapor valde acris, itidem vrinoſus. Ab acidis quibuscunque

ſoluitur, haecque cum eo in ſalem medium abeunt, tunc autem et acidum et alcali acrimoniam priſtinam amittunt. Sal Tartari fibram muſcularem vehementer irritat et ad motum ſollicitat, humores diſſoluit, acres reddit, viſcidum morboſum potenter diſiungit, acidum corrigit, motum humorum primo auget, et, actione abſoluta, naturali motu multo minorem producit et motui inteſtino putredinoſo anſam praebet. Caute ſemper et non, niſi in morbis chronicis, vſurpandum eſt, et iis quidem, vbi laxitas ſolidorum inſignis cum viſcido pituitoſo, acido, copioſo coniuncta eſt. In obtemperando enim acido eodemque corrigendo inſigne deprehenditur. Melius ſemper operatur, nec corpus adeo vehementer afficit, ſi parua portio e. g. ſcrupulus vnus cum libra vna aquae commiſcetur, haecque aqua alcaleſcens intra bihorium ſenſim ingeritur. Si per aliquot dies remedium hocce continuatur, in morbis viſcidis, vbi acidum eſt, et concretiones a ſimili cauſa ortae fuerunt, multa praeſtat, inprimis ſi verſus veſperam amara aut ſaponacea ſimul in vſum vocantur. Abſit tamen febris quaecunque, aut laeſio viſceris, aut putredo vel minima, aut tenuitas humorum inſignis. Multum iuuat: prudens eſto.

§. 327.

SPIRITVS SALIS AMMONIACI SIMPLEX ex ſale ammoniaco, cum alcali fixo vegetabili et aqua commixto, per deſtillationem obtinetur. Fluidum eſt odoris maxime penetrantis, vrinoſi, nares ſingulari et acuto ſtimulo ferientis, ſaporis acris, vrinoſi, penetrantiſſimi.

Raro

Raro, nec, niſi ſumma cum cautione, interne vſurpandus eſt. Fibram enim muſcularem acutiſſime irritando ad motum vehementem ſollicitat, fluidi neruei motum impetuoſe excitat, auget, promouet, humores potentiſſime reſoluit, viſcidum morboſum, mobile tantum et attenuatum, aggreditur, acidum euolutum corrigit, vel idem, cum viſcido ſubtiliori in ſubtiliſſimis canaliculis haerens, deſtruit.

Easdem fere vires obtinet SPIRITVS SALIS AMMONIACI VINOSVS, qui dicitur, ſi loco aquae ſpiritus vini additus fuerit. Ad ſaponacea magis accedit, et maiorem vim reſoluentem habet. Si, praeter ſpiritum vini, ſemina aniſi adduntur, tuncque deſtillatio inſtituitur, *ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus* obtinetur. Magis adhuc ſaponaceus hic eſt, ſaepiusque interne vſurpari poterit. Eadem in genere praeſtat, quae praecedentes, ſed remiſſius quodammodo agit, et licet vis antacida minor ſit, pro hoc ſcopo tamen meliori cum ſucceſſu propinatur. In exhibendis iſtis alcalinis remediis ſemper cautio requiritur, et, niſi corpora ſpongioſa, aquoſa et frigida ſint, neque tenuitate humorum laborent, dicti ſpiritus vix in vſum ducendi ſunt. In acutis, inflammatoriis et putridis nocent. Proſunt in morbis chronicis, et iis inprimis, vbi acidum, cum viſcido ſubtili coniunctum, vaſis ſubtilioribus impactum ineſt. Hinc ſaepe in rhevmatiſmis nec non pituitoſis pectoris et viarum vrinariarum atque etiam primarum viarum morbis, inprimis ſi acidum ſimul adiunctum eſt, non ſine fructu exhibentur. Dantur a guttis decem ad triginta, raro vltra.

§. 328.

Ad immutandam acrimoniam acidam, vel in primis viis abundantem, vel etiam profundius in corpore haerentem, egregie conducunt *Succi Plantarum* et *Radicum quarundam* e. g. TARAXACI §. 259. SAPONARIAE §. 258. LACTVCAE §. 256. BARDANAE §. 257. HEDERAE TEERESTRIS §. 268. qui, licet acidum recludant, ob indolem tamen oleoſo-ſaponaceam quaſi et ob id, quod acidum, neutiquam euolutum ſed aliis particulis irretitum, inhaereat, humores acidos immutant, et, viſcido reſoluto, eo diſponunt, vt vires corporis, ab acido minus ſollicitatae, in acidam acrimoniam, debilitatam quaſi, fortius agant, idem ſubigant et expellant. Vſum inprimis habent in morbis chronicis, v. g. in ſcabie humida, phthiſi, rhevmatiſmis chronicis, tuſſi et digeſtionis vitiis, ſi in iſtis morbis acidum, inprimis cum viſcido pituitoſo coniunctum, abundat et morbos protrahit. Si tamen laxitas nimia ſimul adeſt, ſoli minus conueniunt, optime veniunt, ſi amara et leniora roborantia in vſum ſimul ducuntur.

§. 329.

Inſignem vim antacidam habent *Plantae amarae*, CHAMAEDRYS §. 270. CENTAVRIVM MINVS §. 271. FVMARIA §. 272. CARDVVS BENEDICTVS §. 273. TRIFOLIVM FIBRINVM §. 274. RADIX GENTIANAE RVBRAE §. 275. LVPVLVS §. 276. ABSINTHIVM §. 277. Alia amara, FEL TAVRINVM §. 280. FVLIGIO §. 300. et etiam

SAPO

SAPO VENETVS §. 296. Omnia haec partim ob ſubſtantiam oleoſam et terram, cum acido coniunctam, partim ob alcalinas partes, cum oleoſis connexas, acidum immutant. Inprimis SAPO VENETVS §. 296. FVLIGO §. 300. et FEL TAVRI §. 280. in morbis, qui a viſcido pituitoſo et acido ortum habent, et digeſtionem laedunt, vel obſtructionibus glandularum et viſcerum anſam praebent, multum valent. Plantae amarae conducunt, ſi acida acrimonia tenuitatem nimiam produxit, vbi, interpoſitis demulcentibus et nutrientibus, praeſtantiſſimum auxilium ferunt. Proſunt etiam, ſi viſcidum ſimul adeſt, et in vaſis ſubtilioribus haeret, vel etiam laxitas nimia Saponem et Fel vix admittit.

SVBDIVISIO III.

Remedia, quae acrimoniam ſalſam corrigunt.

§. 330.

Medicamenta, quae ad corrigendam acrimoniam ſalſam adhibentur, tantam efficaciam, vt acida et alcalina in corrigendis acrimoniis putridis, alcaleſcentibus et acidis oſtendunt, non habent. Vix enim indoles acrimoniae ſalſae ita inuertitur, vt noua ſubſtantia ſalina, ab acido, alcalino et medio ſale diuerſa, producatur. Id tamen praeſtant, vt acrimonia ſalſa minus efficax euadat et ita obtundatur, vt vires corporis ad expellendam acrimoniam eo magis idoneae fiant, quo parcius eaedem ab iſta acrimonia defatigen-

tur. Inuoluendo inprimis agunt, et licet multa ſint, quae involuant §. 305. ſeqq. quaeque etiam ad obtundendam iſtam acrimoniam multum conferant, inuoluentibus tamen ſtricte ſic dictis tantam efficaciam in obtundenda acrimonia ſalſa vt dulcibus, adſcribendam non eſſe, experientia docet. Negandum quidem non eſt, tum dulcia, tum etiam inuoluentia vno fere eodemque modo, ſi ad partes conſtitutiuas attendimus, agere, ſiquidem haec non ſolum ſed etiam illa ob ſubſtantias mucilagineas, vel etiam vnguinoſas et terreas adiunctas in inuoluenda iſta acrimonia actionem ſuam exercent; interim tamen id inprimis perpendendum eſt, in dulcibus ſubſtantiam mucilagineam et vnguinoſam et terream non ſolum teneriorem et ſubtiliorem multo eſſe, ſed praeter hanc etiam ſalinam ſubſtantiam, qua inuoluentia ſtricte ſic dicta deſtituuntur, adiunctam habere, ideoque non ſolum profundius penetrare, ſed et ob maiorem affinitatem particulas ſuas inuoluentes ſalſae acrimoniae particulis arctius applicare, hasque ad agendum lentiores multo, immo fere inhabiles, reddere. Cumque praeterea ſalſa corporis humani acrimonia ad alcaleſcentem naturam facile vergat, dulcium autem ſubſtantia ſalina ad acidum naturam inclinet, inſignis eorum immutandi vis et efficacia, quae inuoluentibus deeſt, eluceſcit vlterius.

§. 331.

Inter ſubſtantias dulces, quae pro hoc ſcopo propinari poſſunt, eminent inprimis MEL §. 131. CARICAE PINGVES §. 130. DAVCI SVCCVS §. 75.

RADIX

RADIX LIQVIRITIAE §. 255. SACCHARVM §. 66. *Mel* inprimis et *Caricae* copioſiores partes mucilagineas continent, multis caeteroquin particulis dulcibus foetas. Hinc reliquis diutius in corpore et in primis viis commorantur, et acrimoniam ſalſam, cum viſcido coniunctam, egregie obtemperant. Quapropter in morbis pectoris et viarum vrinariarum, qui a viſcido copioſo ſalſo ortum habent, egregie conducunt. Cum in *Radice Dauci* et *Liquiritiae* partes dulces magis dilutae et ob minorem copiam partium mucilaginearum mobiliores ſint, citius eae per corpus transeunt, minoremque vim ſoluentem et relaxantem habent. Proſunt igitur in iisdem morbis, ſed in tali ſtatu, vbi humores magis tenues neque adeo viſcidi et ſolida caeterum laxa, valde tamen irritabilia, ſunt. Iuuant praeterea et caeteris praeſtant, ſi in ſubtiliſſimis vaſculis acrimonia ſalſa, valde rodens et pene alcaleſcens, haeret et partes fere conſumit. An ergo prae aliis ad vlcera carcinomatica valent? *Saccharum* denique praecedentibus magis ſalinum eſt magisque ſtimulans, et in iisdem quidem morbis, vbi mel prodeſt, valet; ſed vix adeo conducit, ſi acrimonia ſalſa cum ſiccitate partium coniuncta eſt, iuuat potius, vbi viſcidum pituitoſum copioſum cum iſta acrimonia coniunctum et laxitas partium deprehenditur. In vniuerſum *Dauci* et *Liquiritiae radix* macilentis et irritabilibus, *Mel* et *Caricae* ſiccis et pituitoſis, *Saccharum* humidis pituitoſis et laxis frigidis prodeſt.

SECTIO III.

Neruina.

§. 332.

Neruina vi vocis remedia deſignant, quae in neruos agunt. In anteceſſum autem notandum eſt, eiusmodi medicamenta non ſolum in neruos actionem ſuam exercere, ſed etiam in fibram muſcularem et ſanguinem aliosque humores agere, licet non negandum ſit, efficaciam eorum in hos et fibram muſcularem minorem eſſe, quam in neruos. Subtiliſſimae admodum et valde volatiles Neruinorum ſunt partes, et hac in re nerueo fluido ſimiles. Inde fit, vt aſſumta ſtatim a neruis recipiantur, neque in aliis partibus mutationem adeo inſignem producant, licet aliae etiam perplures, non neruinae, partes adiunctae ſint, quae diu in reliquis corporis partibus commorantur, idque efficaciter ſatis afficiunt. Cum vero ſubtiles illae, a neruis receptae partes, vna eademque indole donatae non ſint, ideoque diuerſas omnino in fluido nerueo excitent mutationes, et alia Neruina motum fluidi neruei intendant, ſed, actione abſoluta, vires roboratas non relinquant, alia vero motum dicti fluidi excitent et promoueant auctamque fluidi neruei vim relinquant, alia rurſus motum intenſiorem minuant et lentiorem reddant, alia demum omnem fere motum ſufflaminent, in quatuor claſſes Neruina cuncta diuidimus, et primo de *Excitantibus*, dein de *Analepticis*, porro de *Antiſpaſmodicis*, denique de *Sedantibus* vel *Paregoricis* agimus.

CAPVT

CAPVT I.

Excitantia.

§. 333.

Neruina excitantia remedia motum fluidi neruei ſemper quidem intendunt, ipſum fluidum nerueum augent, ſed non in omni ſtatu vires refocillatas relinquunt. Praeterea fibram muſcularem irritant, oleoſas partes valde actiuas reddunt, ideoque tum ob haſce vires tum ob auctum et copioſius ad fibram muſcularem appulſum fluidum nerueum, efficacius quaſi factum, motum humorum progreſſiuum ſemper promouent, et calorem augent. Variat tamen horum remediorum excitandi modus, et alia vno quaſi impetu fluidi neruei motum excitant, et ſubito etiam agere deſinunt, alia autem diutius commorantur, nec tanto impetu fluidum nerueum aggrediuntur, prout nimirum receptacula ſe habent, in quibus neruina illa vis magis minusue euoluta et libera aſſeruatur. Multa ex his remediis excitantem vim habent, ita vero ſaepe comparata, vt ob adiunctas alias vires commode pro ſcopo excitandi propinari nequeant. Itaque ſelectum inſtituentes nonnulla tantum, quae odore forti, ſpirituoſo quaſi, nequaquam graui ſe commendant, ad vera excitantia referimus. Pertinent ad ea 1) *Aromata* varia in ſubſtantia exhibita; 2) eorundem *Infuſa;* 3) multae *Aquae deſtillatae odoratae*; 4) complures *Spiritus abſtractitii odorati;* 5) plurima *Olea deſtillata aetherea*; 6) non nullae *Eſſentiae ſpirituoſae*; 7) *Alcalia volatilia* tum *ſolida* tum *fluida;* 8) *Camphora.*

§. 334.

Aromatica ſunt, quae odore forti, nares vellicante, nequaquam ingrato, et ſapore plus minus acri, exſiccante ſe manifeſtant. Eiusmodi remedia fibram muſcularem viuide ſatis irritant et fluidum nerueum copioſius alliciunt, idque cito motu propellunt. In alios quoque humores vim ſuam exercent, et inprimis oleoſam eorum partem expandunt, eandem ſubtiliorem magisque actiuam reddunt, aquoſam partem diſſipant, hincque tum per ſe tum ob oleoſas partes ſubtiliores, copioſe ad neruos accedentes, fluidum nerueum augent, eiusque ſecretionem promouent. Inter permulta, quae huc ſpectant, 1) CASSIA LIGNEA §. 204. 2) CORTEX CINNAMOMI §. 205. 3) CORTEX AVRANTIORVM §. 211. 4) CORTEX CASCARILLAE §. 212. 5) CORTEX CANELLAE ALBAE §. 213. 6) RADIX CALAMI AROMATICI §. 218. 7) CARYOPHYLLI AROMATICI §. 219. 8) CORTEX CITRI §. 313. eminent.

§. 335.

Aromata haec §. 334 laudata pro diuerſa praeparandi ratione varie agunt. In ſubſtantia, id eſt, in puluere ſi exhibentur, diu in corpore commorantur, cumque ſubſtantia eorundem neruina nondum libera, aliisque adhuc lentioribus et fixioribus implicita, ſenſim ſenſimque ad fluidum nerueum deferatur, excitans eorundem vis minime ſubitanea, ſed eo magis conſtans eſt. Cum etiam diu ſatis maſſae ſanguineae inhaereant, partesque ſuas fixiores arctius cum partibus ſanguinis conne-

connectant, motum humorum iam auctum diutius quoque promouent, ſicque calorem conſeruant vel augent et corpus ſiccant. Proſunt igitur in morbis, vbi humores ſenſim in motum ciendi ſunt, et calor abſque vllo incommodo excitari poteſt, hinc in multis morbis chronicis, vbi nec calor nec ſiccitas obſtat, et vix vllo in morbo acuto vſum habent. Caute etiam propinanda ſunt, ſi tenuitas humorum nimia cum ſolidis valde debilibus coniuncta eſt. In coordinandis iſtis ſelectus etiam inſtituendus eſt. Sic in morbis, vbi corpora irritabilia et ſenſibilia ſunt et fluidi neruei aliorumque humorum motus facile excitari poterit, et lentor humorum a nimia tenuitate et aquoſa humorum indole neque viſcido copioſo dependet, e. g. in phthiſi, lipothymia, debili digeſtione, nauſea &c. CASSIAE LIGNEAE, CORTICIS CINNAMOMI et CORTICVM AVRANTIORVM *Puluis* prodeſt. Si lentor fluidi neruei a viſcido pituitoſo, copioſo vel abundante aqua prouenit, CORTICVM CITRI, AVRANTIORVM, CASCARILLAE, CANELLAE ALBAE, RADICIS CALAMI AROMATICI vel etiam CARYOPHYLLORVM AROMATICORVM *Puluis* iuuat.

§. 336.

Maiorem vim excitantem habent remediorum §. 335. laudatorum *Infuſa aquoſa* et *vinoſa*. In vtrisque quidem partes neruinae et aliae, non neruinae, inſunt, ita vero euolutae inque motum ductae, vt Infuſa iſta ingeſta ſtatim agant, neque diu in corpore moras nectant. Leniorem vim habent *Infuſa aquoſa*, citoque ſatis

ſatis per corpus tranſeunt, neque fibram muſcularem adeo irritant, neque etiam humorum maſſam multum exagitant, ſtatimque a neruis recepta fluidum eorum augent, ſecretionem eius promouent, motumque modice intendunt. Variat tamen Infuſum quodcunque pro diuerſa ſimplicis, ex quo paratur, indole. Sic CASSIAE LIGNEAE *Infuſum* omnium leniſſimum eſt, totumque corpus leniter afficit, et debilioribus, quae fortiora non ferunt, conducit. Cum hoc fere conuenit *Infuſum* Corticis Cinnamomi, paulo fortius tamen et calidius cenſendum. Hoc ſequuntur *Infuſa* CORTICVM CITRI et AVRANTIORVM. Maiorem vim, et diutius durantem, habent *Infuſa* CALAMI AROMATICI, CORTICIS CANELLAE ALBAE et CASCARILLAE. Haec ſuperat *Infuſum* CARYOPHYLLORVM AROMATICORVM. Eodem ordine conſideranda ſunt *Infuſa*, quae ex his cum vino parantur, praeter id, quod omnia maiorem vim excitantem, calefacientem et exagitantem habeant, et diutius in corpore commorentur. Proſunt aquoſis, ſi vis neruina confeſtim quidem ſed parum excitanda eſt. Conducunt in morbis, vbi irritabilitas fibrarum adhuc quidem viget, ſed lentor humorum a defectu fluidi neruei ſufficientis dependet. Hinc ſaepe in morbis acutis et putridis egregii vſus ſunt, ſaepe etiam in morbis chronicis proficua; ſin vero irritabilitas valde imminuta eſt, inſimulque humores ob debilem influxum fluidi neruei languent, *Vinoſa* praeſtant. Raro tamen haec in morbis acutis, et vbi febris vel leniſſima eſt, vſurpanda ſunt: calida enim cum ſint, partesque neruinas copioſiores et magis acti-

uas

uas habeant, non ſolum fluidum nerueum per ſe augent, ſed, ſanguine fortius moto et copioſius ad caput appulſo, ſecretionem copioſiorem efficiunt. Hinc fibra muſculari, tum a viuidiori influxu fluidi neruei, valde irritantis, tum ab ipſis infuſis et ſanguine, magis per ea actiuo facto, valde irritata, motus et calor humorum augetur, idque eo magis fit, quo copioſiores partes neruinae cum aliis itidem copioſis, non neruinis, valde tamen actiuis, partibus coniunctae ſunt. Hinc in morbis chronicis, qui ab humoribus nimis aquoſis viſcidisque et a ſolidis laxis, minus irritabilibus, dependent, et vbi ob haſce cauſas lentor in fluido nerueo tumque in toto corpore producitur, egregia auxilia ferunt.

§. 337.

AQVAE DESTILLATAE ODORATAE ſemper in fluidum nerueum agunt, ſed tales hic commemorandae ſunt, quae odorem nequaquam ingratum, foetidum et caput grauantem de ſe ſpargunt, ſed quae balſamico aut aromatico odore aut acuto, in naribus excitato, ſenſu ſe manifeſtant. Exemplo ſint *Aqua Cinnamomi, Caryophyllorum, Corticum Citri, Corticum Aurantiorum, Meliſſae* et eiusmodi aliae. Valde actiuae ſunt iſtae aquae et, reſpectu ſubtilitatis, fluido nerueo magis ſimiles. Partes volatiles neruinas, plane euolutas nec aliis implicitas, fouent, hinc vix ingeſtae in fluidum nerueum ſtatim agunt, reliquum corpus ſubito quidem afficiunt, ſed cito per iſtud tranſeunt. Itaque vno quaſi momento vires excitant et, quo magis partes iſtarum aquarum neruinae mixtioni fluidi neruei fauent, eo magis

gis motus regulares producunt, et circulum humorum aequalem vel ſeruant vel reſtituunt. Iuuant inprimis, vbi vires ſubito excitandae et refocillandae ſunt, neque tamen calor corporis adeo augendus neque etiam motus, adeo auctus, diu relinquendus eſt. Hinc in morbis acutis aeque ac chronicis, ſi vires ob debilem influxum fluidi neruei deficiunt, et ſubitum quidem neque tamen vehemens virium augmentum requirunt, laudatae Aquae prae reliquis in vſum ducendae ſunt. Variant tamen hae ipſae, prout ſimplicia ſe habent, et aliae efficaciores et calidae, aliae leniores minusque calidae ſunt. Vix iuuant, ſi vaſa cuncta, ſanguinem aliosque humores vehentia, non ſatis libera ſunt, et circulus humorum ob materiem, partibus impactam, hinc illinc turbatur, vel etiam plane deeſt. Itaque in obſtructionibus viſcerum quibuscunque, ſi etiam torpor in fluido nerueo ſit, vel nihil iuuant, vel etiam nocent. Nocent etiam in morbis inflammatoriis inque omni ſtatu, vbi ſiccitas et humorum denſitas ſubitaneum virium augmentum vetat. In morbis putridis, ſi reſolutio humorum vniuerſalis eſt, ſolae exhibitae non quidem nocent, ſed vehementiae morbi impares ſunt.

§. 338.

SPIRITVS ABSTRACTITII ODORATI, ex iisdem corporibus aromaticis §. 334. recenſitis, et Spiritu vini per deſtillationem parati, ad remedia neruina, admodum excitantia, pertinent. Eadem fere, ratione ſubtilitatis et euolutionis particularum neruinarum, dicenda ſunt, quae de Aquis deſtillatis diximus. Verum, multo effi-

efficaciores ſunt, neruos non ſolum ſed etiam maſſam humorum et quidem oleoſam eorum partem ſubito commouent, fibram muſcularem ſortius irritant, in corpore diutius commorantur, calorem excitant et partes aquoſas diſſipant, motumque humorum, ob exaltatas partes oleoſas auctum, diu in tali ſtatu relinquunt. In morbis acutis vix locum habent, nunquam in inflammatoriis putridisue. In chronicis, niſi circulus liber ſatis eſt, et ſolida reſiſtere poſſunt, nunquam adhibendi ſunt. Laudem vero merentur, ſi torpor fluidi neruei et humorum, a nimia humorum colluuie aquoſa et laxitate inde fibrarum et irritabilitate producta, ortum habet, ſaepeque irregulares motus ſuboriuntur, et caloris naturalis vis multum imminuitur. Cum aliis remediis reſoluentibus parcius commixti ſaepe actionem eorum iuuant et remedia praebent, in morbis viſcidis pituitoſis valde proficua. Caute vero vel nunquam exhibebis, ſi tenuitas nimia humorum rupturam vaſorum minatur, vel vbi defectus virium a corrupta et deficiente lympha nutriente originem trahit.

§. 339.

OLEA DESTILLATA AETHEREA complura inſignem vim in neruos habent, motumque fluidi neruei excitant, ſed ea tantum hic in cenſum veniunt, quae odore vel balſamico, vel aromatico, vel etiam ſubtiliori, ſpirituoſo quaſi, ſe ab aliis diſtinguunt. Vſitatiſſima ſunt, OLEVM FOENICVLI §. 206. OLEVM CINNAMOMI §. 205. OLEVM CORTICVM CITRI §. 313. OLEVM CORTICVM AVRANTIORVM §. 211.

211. OLEVM NVCIS MOSCHATAE §. 215. OLEVM MELISSAE §. 100. OLEVM MENTHAE CRISPAE §. 99. OLEVM RORISMARINI §. 97. OLEVM IVNIPERI §. 78. OLEVM TEREBINTHINAE §. 293. Fortem et diu inhaerentem ſtimulum fibrae muſculari memorata olea applicant, oleoſam humorum partem augent et expandunt, aquoſas partes diſſipant, fluidi neruei ſecretionem promouent, copiam eius augent, eiusdemque et omnium humorum motum excitant, et, actione abſoluta, auctum diu relinquunt, caeterum corpus calefaciunt et exſiccant. Aquis deſtillatis et Spiritibus abſtractitiis multo potentiora ſunt, et caute ſemper vſurpanda. Vſum habent in morbis chronicis, qui a defectu partis oleoſae ſanguinis, partibus aquoſis ſuperfluis, viſciditate humorum pituitoſa, laxitate ſolidorum, irritabilitate imminuta, et ob haſce cauſas torpeſcente fluido nerueo ortum habent. Cum diu ſatis in corpore commorentur, bono ſaepe cum ſucceſſu in morbis frigidis torpidisue propinantur, et aquis et ſpiritibus palmam praeripiunt. In febre quacunque nocent, ſi tamen in putridis febribus, vbi vires ob imminutum et torpidum fluidi neruei influxum inſigniter debilitantur, et febris fere ceſſat, dicta Olea aliis conuenientibus remediis vniuntur, vires horum efficaciores reddunt. Immo in aliis morbis, frigidis tamen viſcidisue, reſoluentibus remediis parca manu addita, motum humorum et calorem augendo, plura praeſtant. Optime ea ad guttas aliquot cum ſaccharo teruntur, tumque ſic dicta *Elaeoſacchara* praebent, quae cum aqua ſimplici aquoſisue remediis coniungi ſe patiuntur. Sed inter

inter ipſa haecce Olea ſelectus inſtituendus eſt: reſpectu enim efficaciae differunt, differunt etiam reſpectu ſpiritus ſic dicti rectoris, hinc interdum in hoc vel illo morbo ſingulare quid praeſtare videntur. Specificam indolem cognoſces, ſi ſimplicia, ex quibus per deſtillationem obtinentur, ſuo loco euolueris. Generale diſcrimen in potentia et vi calefaciente poſitum eſt. Sic calidiſſima et efficaciſſima ſunt *Oleum Caryophyllorum, Terebinthinae, Iuniperi;* paulo mitiora ſunt *Oleum Cinnamomi, Meliſſae, Menthae, Roriſmarini, Nucis Moſchatae;* his mitius cenſebis *Foeniculi Oleum.* Semper vero perpendas, eſſe calida, et niſi fibra ſolida ſtimulum ferre poſſit, in caſu quocunque, etiamſi torpor fluidi neruei inſignis ſit, nunquam admittenda.

§. 340.

ESSENTIAE SPIRITVOSAE, ex aromaticis et balſamicis cum Spiritu vini per digeſtionem paratae, itidem neruina excitantia ſunt, et multa cum Oleis aethereis communia habent. Continent, praeter partes Spiritus vini, partes oleoſas aethereas et reſinoſas, interdum quoque gummoſas. Maiorem vim condenſantem et exſiccantem exercere videntur. Calida ſunt et vix, niſi eo in caſu admittenda, vbi torpor fluidi neruei totiusque corporis a nimia humorum colluuie aquoſa dependet. Si tamen aliis conuenientibus medicamentis reſoluentibus adduntur, mitius agunt, et in morbis catarrhoſis et rheumaticis morbisque primarum viarum egregiam opem ferunt. Optimas nominabis *Eſſentiam Cinnamomi, Corticum Aurantiorum, Succini* et *Balſa-*

mi peruuiani, quae in morbis frigidis, vbi torpor fluidi neruei inſignis eſt, e. g. in paralyſi, poſt apoplexiam relicta, in Catharrho ſuffocatiuo, digeſtione languida ſimilibusque aliis laudem prae reliquis merentur. Vis eſſentiarum ſpecifica ex hiſtoria ſimplicium patet.

§. 341.

ALCALIA VOLATILIA, Vt SPIRITVS SALIS AMMONIACI SIMPLEX et VINOSVS et ANISATVS §. 327. et qui ſuper aliis aromaticis et balſamicis deſtillatur, nec non ſic dicta SALIA VOLATILIA OLEOSA LIQVIDA, quae ex alcali volatili, Spiritu vini et ſubſtantia quadam, particulis oleoſis aethereis foeta, parantur, interdum pro ſcopo excitandi vſurpantur. Inſigniter dicta remedia fibram muſcularem ſtimulant, neruorum humorumque motum vehementer et vno quaſi impetu excitant, humores diſſoluunt, et citiſſimo fere motu per corpus tranſeunt. Parciſſime iſtis et raro vtendum eſt, vixque locum habent, niſi in morbis frigidiſſimis et iis quidem, qui a copioſo viſcido pituitoſo et aquoſo, vel inerti, vel acido, vaſis tamen et viſceribus non adeo impacto, et inſigni torpore fluidi neruei proueniunt. Profuerunt interdum in catarrho ſuffocatiuo, rhevmatiſmis et paralyſi, ſaepe etiam in iisdem nocuere. Si vtaris hiſce remediis, corpora laxa ſint, ſuccis aquoſis plena. Debilia, macilenta, exſucca, bilioſa non ferunt. In febre quacunque, in putridis morbis, etiam leuiſſimis, in diſſolutione humorum certo nocent.

§. 342.

CAMPHORA; gall. *Camphre;* germ. *Kampher.* Eſt ſubſtantia ſolida, friabilis, alba, fere pellucida, odoris fortis, grauis quodammodo, ſaporis acris, amaricantis, aromatico-balſamici. Concretum inflammabile ſingulare ſiſtit, cum reſinis quodammodo comparandum, attamen reſpectu partium valde ſubtilium omnino diuerſum. Ex Iaponia adfertur, vbi ex *Lauri* quadam ſpecie *), foliis, radice et ligno conciſis, ope aquae per coctionem et ſublimationem colligitur. Ex particulis oleoſis maxime ſubtilibus, acidis et terreis, valde attenuatis, conſtat. Sola, abſque vllo additamento in vaſis clauſis tractata, integra ſemper nec mutata ſublimatur, neque vnquam in memoratas partes reſoluitur; hinc a reſinis differt. Soluitur ab acidis mineralibus concentratis, ſoluitur a ſpiritu vini, modo tamen plane diuerſo. Stimulo ſat forti, diu non inhaerente, fibram muſcularem irritat, humores diuidit et penetrat, et eorum aeque ac fluidi neruei motum excitat, neruos cito penetrat et mouet. Per ſe quidem calorem non auget, ſed oleoſas humorum partes excitando, aquoſas partes nimis cito diſſipando, nihilominus calorem vel excitat vel auget. Et licet eum effectum, quem Olea aetherea et Spiritus ardentes edunt, nunquam producat, ſemper tamen calidum remedium cenſendum eſt. Prodeſt in morbis chronicis aeque ac acutis, ſed cauſam et ſtatum morbi accurate perpendas. Iuuat egregie in morbis

*) *Laurus* (Camphora) LINN. Spec. p. 528. BLACKWELL. 347.

bis acutis, ſi materies viſcida acris, pituitoſae tamen indolis, per vaſa circumducitur, et, ob impeditam ſecretionem fluidi neruei et ob imminutam irritabilitatem ſimulque ob defectum caloris ſufficientis, circulus humorum languet. Iuuat in febribus, ſi materies viſcida, putridae indolis, ad neruos defertur et vires inde frangit. Si tamen cauſa morbi bilioſa fuit, et humores, ob praegreſſam nimiam exagitationem, diſſoluti iam ſunt, a Camphora abſtinebis. In morbis chronicis, ſi lentor a viſcido pituioſo et in neruis et in ſanguineis vaſis producitur, ſique etiam a ſtagnante viſcida materie materies acris, putreſcens lente euoluitur et ſic dictum calorem a dyſcraſia producit, et neruorum motum torpidum reddit, vel etiam ſenſorium commune turbat, ſaepe auxiliatur. Camphorane in inflammatoriis morbis? Vt neruinum, ſi morbus adhuc viget, non indicatur, forte in iis, vbi morbus, humore ſtagnante in putrilaginem ruente, ad gangraenam inclinat. Laudant ob reſoluentem vim; ſed penetrat duntaxat humores, diuidit, mouet, calefacit. Nunquam ergo exhibenda, ſi motus nimius, denſitas inſignis et ſiccitas morbum comitantur. Optime propinatur in ſubſtantia, et tutius ſemper operatur cum Nitro, largius adiuncto. Si cum Saccharo vel etiam cum ſeminibus oleoſis diu et bene trituratur in aqua maximam partem ſolubilis fit, tuncque in forma fluida exhiberi poterit. Si cum mucilagineis et gummoſis corporibus in pilulas effingitur, in chronicis morbis vſum habet. Aliter ſi vſurpatur, fere nocet. Abſit pro vſu interno et Spiritus vini et oleum quodcuncunque, a quibus tamen ſoluitur. Semper cautus ſis,

ſi

ſi Camphora vti velis. Bilioſis, ſanguineis, atrabilariis, macilentis, exſuccis, hecticis nunquam, laxis, pituitoſis, frigidis prudenter dabis. Datur pro doſi a granis duobus ad quinque, interdum plura.

§. 343.

Ad remedia neruina excitantia alia plura referuntur; aliqua eorum breuibus adhuc conſideramus. Sic neruinam vim habet *Semen Aniſi vulgaris,* quod multa cum Semine Foeniculi communia habet, praeter id, quod paulo minus exſiccet, ſubſtantiam magis dulcem pluribus particulis mucilagineis remixtam, foueat, ideoque in pectoris morbis viſcidis, cum debilitate neruorum coniunctis, vtile animaduertatur 2) *Semen Aniſi ſtellati,* cum Aniſo vulgari conuenit, ſed multo calidius et acrius eſt. 3) *Flores Lauendulae;* 4) *Flores Spicae hortenſis* multum inter ſe inuicem conueniunt, et ob ſubſtantiam valde volatilem, ſpirituoſam quaſi, in oleo ſubtiliori reconditam, in affectibus paralyticis, poſt apoplexiam ſeroſam relictis, vſum habent. 5) *Flores Anthos* cum Foliis Roriſmarini conueniunt, ſed ſubſtantiam magis volatilem, ſubtilem et penetrantem continent. 6) *Styrax ſolida, Calamita* etiam dicta, ſubſtantiam balſamico-ſpirituoſam, in partibus oleoſis, reſinoſis et vnguinoſis reconditam, fouet, et in debilitate neruorum, a parciore ſecretione fluidi neruei et defectu humorum producta, ideoque in paralyticis quibusdam affectionibus, poſt apoplexiam relictis proficua cenſetur. 7) *Styrax liquida* idem forte praeſtat, ſed vix genuina, et plerumque ex variis aromaticis balſamicisque ſubſtantiis

 parata

parata in officinis proſtat. 8) *Cortex Thuris* ſeu *Thymiamatis* cum Styrace ſolida quodammodo conuenit, ſed calidior eſt. 9) *Maſtix* ſeu *Grana Maſtichis*, ſpiritu vini inprimis ſoluta, ſubſtantiam neruinam, particulis reſinoſis tenacioribus implicitam ideoque cito per corpus non tranſeuntem communicant, et in affectibus neruorum, qui ab aquoſo humorum ſtatu et laxitate ſolidorum inſigni proueniunt, aliquid praeſtant. 10) *Balſamum de Mecha;* 11) *Balſamum Tolutanum* nobile principium neruinum fouent, et in affectibus neruorum frigidis et iis etiam, qui a defectu fluidi neruei oriuntur, vtilia ſunt, multa caeteroquin cum Balſamo Peruuiano et Balſamo de Copaiua communia habent, hisque praeſtantiora ſunt, ſed raro genuina in officinis reperiuntur. 12) *Benzoes reſina,* quae falſo Gummi dicitur, ſal volatile oleoſo-acidum continet, in quo ſubſtantia admodum ſubtilis et penetrans reſidet, ob quam neruorum fluidum mouet et ad fibram muſcularem deriuat allicitque, et inprimis ad morbos pectoris pituitoſos, vbi atonia pulmonalis cum deficiente influxu fluidi neruei obſeruatur, commendatur; *Tinctura* autem eiusdem ſpirituoſa ad coſmetica refertur. 13) *Ambra griſea,* quae bituminoſis corporibus accenſetur, ſubſtantiam volatilem valde odoratam continet, et in morbis neruorum, ab aquoſo humorum et frigido totius corporis ſtatu productis, proficua aeſtimatur. 14) *Moſchus,* qui ſubſtantiam granuloſam et vnguinoſam, ex folliculo, ad vmbilicum *Animalis* cuiusdam orientalis Moſchiferi dicti ſito, deſumtam ſiſtit, ſubſtantiam admodum ſubtilem, ſpirituoſam quaſi, odoris fragran-

grantiſſimi, partibus terreo-vnguinoſis implicitam continet, nec, niſi in frigido et aquoſo corporis ſtatu et vbi inſignis fluidi neruei defectus obſeruatur, vtilis cenſendus eſt. 15) *Zibethum*, quod ſubſtantiam vnguinoſam praebet, in folliculo glanduloſo ad anum Animalis cuiusdam, in India orientali et occidentali obuii, *Cati Zibethici* dicti, contentam, particulas admodum exaltatas, Moſchi particulis ſubtiliores, magisque ſpirituoſas, odoris fragrantiſſimi et penetrantiſſimi, in particulis vnguinoſis tenerioribus reconditas continet, et Moſcho efficacius multo eſt, caeterum in iisdem morbis proficuum. Notandum vero eſt, caute remedia nec, niſi frigidiſſimis et aquoſis hominibus propinanda eſſe. *Lapis Bezoar orientalis* et *occidentalis*, *Lapis del Porco*, *Lapis de Goa*, *Lapides pretioſi* ſeu *Gemmae* et *Margaritae*, tanquam medicamenta conſiderata, ad abſurda pertinent, exque officinis proſcribenda. Alia, minus vſitata, praeterimus.

CAPVT II.

Analeptica.

§. 344.

Analeptica medicamenta ſunt, quae ſecretionem fluidi neruei eiusdemque copiam ſubito augent, motum et influxum eius promouent, et vires cito reſtaurant ſtatimque reficiunt et refocillatas relinquunt. Praeterea fibram muſcularem cito nec leui ſtimulo irritant, motumque fluidorum promouent, ita tamen, vt alia calorem augeant, auctumque relinquant, alia autem, motu licet concitato, calorem non augeant ſed auctum

compeſcant minuantque. Eiusmodi medicamenta particulas admodum ſubtiliatas continent, et tales fere, quae, reſpectu ſubtilitatis et ipſius indolis adeo, cum fluido nerueo maxime conuenire videntur. Pertinent ad ea 1) *Vina*; 2) *Acetum vini*; 3) *Acida mineralia dulcificata.*

§. 345.

VINA, in genere conſiderata, ſunt fluida inebriantia, valde ſapida, ex ſuccis vegetabilium acido-dulcibus vel mere tantum dulcibus per fermentationem producta, quae odore ſpirituoſo, nares ſingulari modo feriente, pungente quaſi, grato, reficiente, et ſapore itidem pungente, gratiſſimo, vel aceſcente, vel acido dulci, vel etiam dulci ſe commendant. In omnibus ſubſtantia ſpirituoſa, ſubſtantia ſalina vel acida, vel acido-dulcis et aqua plurima deprehenditur. In aliis tamen ſubſtantia ſpirituoſa, magis ſubtiliata magisque euoluta, et copioſa ſimul cum ſubſtantiis ſalinis, maxime attenuatis plurimisque aquoſis coniuncta eſt, vt Gallica Vina, inprimis *Vinum Burgundicum* et *Vinum Campaniae* docent; haec ſpirituoſa dici merentur. In aliis dicta ſubſtantia valde quidem elaborata et generoſa ſatis eſt, ſed reliquis ſubſtantiis, acido-dulcibus non adeo attenuatis et euolutis, adhuc valde implicita neque tam libera. Exemplo ſint *Vina Hungarica, Italica, Hiſpanica* et alia, quae Oleoſa vocanda ſunt. In aliis ſubſtantia ſpirituoſa, laudabilis quidem et euoluta ſatis, ſed non adeo exaltata eſt, cumque ſalinis acidis euolutis plurimis neque tam ſubtilibus coniuncta; exempla praebent *Vina* ad *Rhoenum, Moenum* inque aliis

locis

locis Germaniae producta, quae tamen rurſus variant et interdum ſubſtantiam ſpirituoſam, laudabilem quidem, ſed non copioſam, interdum autem minus laudabilem, cum ſalinis acidis plus minus laudabilibus coniunctam, fouent; haec *Acidorum* nomine inſigniri poſſunt. Acida haec Vina iterum a ſe inuicem diſcrepant, prout maior minorque copia particularum terrearum adſtringentium cum acidis particulis coniuncta eſt, vt plurima *Vina rubra* Germaniae et nonnulla *rubra Vina* Galliae, inprimis *Vinum Pontac* dictum, eſſe ſolent. Omnia Vina fibram muſcularem viuide irritant, neruos grate afficiunt, eorum fluidum augent, motumque cito promouent, humores rarefaciunt, aquoſam eorum partem diſſipant, oleoſam attenuant, motum eiusdem valide intendunt et ſolidas partes exſiccant. Conducunt itaque, vbi ſolida laxa, minus irritabilia ſunt, et humorum motus, ob imminutam eorum quantitatem et deficientem partem oleoſam minoremue fluidi neruei deficientis influxum, languet. Hinc in vniuerſum corpora laxa, pituitoſa, aquoſa, frigida iuuant; ſiccis, macilentis, valde irritabilibus et ſenſibilibus, birioſis, calidis minus conducunt, nec raro nocent. In ſpecie autem conſiderata Vina memoratos effectus, plus minus diuerſos, edunt. Sic ea, quae *Spirituoſa* vocamus, reliquis Vinis magis irritantia ſunt, humorum motum citiſſime intendunt, eosdem ſubito expandunt, citoque per corpus tranſeunt. Id pleriſque vinis Gallicis, inprimis *Vino Burgundico* et *Vino Campaniae* ſolenne eſt. Conueniunt itaque laxis, aquoſis, pituitoſis, frigidis; inque morbis proſunt, vbi humorum motus ob

 aquo-

aquoſam colluuiem vel ob viſcidum pituitoſum aquoſum, mobile tamen, torpet. Quae vero *Oleoſa* nominamus, ea diutius in corpore commorantur, motum humorum non tam cito quidem intendunt, ſed ſemel intenſum eo diutius ſeruant, aquoſas partes ſenſim diſſipant, et in genere calidiora ſunt. Pertinent huc *Vina* ſic dicta *Oleoſa, Hungarica, Italica, Hiſpanica* aliaque. Haec pituitoſis, frigidis et exſuccis conducunt, inque morbis iuuant, vbi ob viſcidum pituitoſum, tenax vel acidum, vel etiam ob exſuccum corporis ſtatum circulus humorum languet. Quae tandem *Acida* nobis dicuntur, vt Germaniae Vina, ea, ſi generoſa ſatis deprehenduntur, praecedentibus mitius agunt, tardius quam Gallica ſpirituoſa, citius quam Oleoſa operantur, nec tam cito corpus tranſeunt, neque adeo diu in corpore commorantur. Minus etiam, reſpectu aliorum, calida ſunt, aquoſas partes pauciores diſſipant, oleoſam humorum partem non adeo expandunt, magis tamen quam reliqua reſoluunt, quaedam vero, actione abſoluta, ad condenſationem diſponunt, cuncta tamen nerueo fluido reliquisue humoribus magis amica eſſe videntur. Pro diuerſa tamen adiunctarum particularum aquoſarum copia magis minusue actiua ſunt, et laudanda tantum, quae particulas ſpirituoſas aeque ac ſalinas acidas elaboratas ſatis et ſubtiles fouent; ſemper vero reiicienda, quae particulas ſpirituoſas pauciores cum ſalinis acidis crudioribus, minus elaboratis, coniunctas fouent. Acida vina, ſenſum adſtrictorium in lingua non excitantia, *Alba* plerumque dicta, ſiccis, calidis proſunt, et in morbis tum chronicis tum acutis vtili-

vtilitatem praeſtant, iis potiſſimum, in quibus motus humorum, ob alcaleſcentem et putridam indolem vel ob ſolum defectum fluidi neruei imminuitur. Vina rubra, plus minus adſtringentia, laxis, pituitoſis, aquoſis, debilibus conducunt et prae caeteris ad roborandas primas vias totique corpori conciliandum robur proficua aeſtimantur.

§. 346.

ACETVM VINI §. 70. 81. 253. analepticum egregium praebet remedium. Subtiliſſimae enim acidae et oleoſae eiusdem partes, cum partibus itidem acidis et oleoſis paulo craſſioribus coniunctae, ita comparatae ſunt, vt ſubitam mutationem, a viribus corporis ſaepe expectandam, vix patiantur, ſtatimque, ſubtiliſſimae ad minimum eiusdem partes, cum fluido nerueo mixtae nunquam, niſi in ſingulari dyſcraſia humorum et raro admodum, perturbationem in eo excitent, auctas potius et roboratas quaſi vires addant, ſicque motum atque vim fluidi neruei in fibram muſcularem augeant. Cum autem fluidum nerueum, quoad mixtionem ab aceto non mutatum, ſaepe potius correctum, ideoque bonae indolis ad fibram muſcularem accedat, haecque maiorem quidem ſtimulum et viuidiorem, a natura autem non alienum, accipiat, regulares omnino et aucti motus in ſyſtemate ſanguineo producuntur, ſicque vires corporis refocillantur et reſtauratae relinquuntur. Cum praeterea corpus humanum in plerisque morbis ad alcaleſcentem indolem inclinet, Acetum autem excellentiſſimum antalcalinum ſit, fieri aliter nequit, quin,

quin, alcaleſcente indole mutata, vires corporis eo citius reſtaurentur, quo parcius corpus a ſubſtantia prorſus aliena ſollicitatur, inque tranſmutanda eadem Acetum vnice occupatum defatigatur. Egregium itaque dat analepticum in febribus acutis, inflammatoriis, putridis, putridis aliis morbis et atrabilariis, bilioſis quibusuis, in quibus vel defectus fluidi neruei, vel ipſum forte mutatum et mali moris, obſeruatur, vel ipſum ſibi ob copiam ſubſtantiae morboſae, humano corpori aduerſae, non ſufficit. Quare ſemper vires auget Acetum ſaepeque efficit, vt felici cum ſucceſſu materies morbi, ab Aceto iam debilitata, ab auctis nunc viribus vitae ſubigi et expelli poſſit. Sed neceſſe eſt, vt fibrae muſcularis irritabilitas vigeat; alias enim vires neruinae, optime ab Aceto auctae, vel breue ſolatium adferunt vel fruſtra adeo applicantur. Quapropter requiritur, vt alia, quae in fibram muſcularem praecipue agunt, ſimul in vſum vocentur, quo, irritabilitate reſtituta, vis neruina, ab Aceto aucta, bene applicari poſſit. Interim vero, etſi irritabilitas interdum valde imminuta eſt, Acetum tamen corpus ad breue tempus ita refocillat, vt vires naturae, vno quaſi momento collectae, cauſae morbi reſiſtant, iamque alia medicamenta commodius et felici cum ſucceſſu applicentur. Sed bene perpendas, Acetum ſemper, vbi ſiccitas et denſitas humorum eſt, optime conuenire, minus ita, vbi tenuitas nimia et pituitoſus humorum ſtatus in fluido nerueo torporem producit. Non nocet quidem, ſed absque aliis medicamentis ſimul adiunctis, tenuem et pituitoſum humorum ſtatum corrigentibus, vix bene operatur. Immo, ſi ab

ſi ab acido, in corpore abundante, debilitas neruorum totiusque corporis dependet, adeo nocet. Diſquire Acetum; vtere eo, ſi cognitum tibi reddideris; certe, qui extollant, non taxabis.

§. 347.

ACIDA MINERALIA DVLCIFICATA analepticam virtutem habent. Parantur ex Spiritu vini et Acido quodam minerali, per deſtillationem coniunctis. Eminent inter haec LIQVOR ANODYNVS MINERALIS HOFFMANNI et SPIRITVS NITRI DVLCIS. In vtrisque ſubſtantia admodum volatilis, maxime ſubtilis, odoris ſuauiſſimi, reficientis, cum ſubſtantia, paulo minus volatili ſpirituoſa, acida et oleoſa coniuncta eſt. Saporem habent penetrantiſſimum, vinoſum quaſi et acidulum, ſed multo ſubtiliorem, linguam acuto ſatis ſenſu afficientem. Forti et citiſſimo ſtimulo fibram muſcularem irritant, fluido nerueo auctas ſtatim vires communicant, inque motum citatiorem ducunt, alios humores, inprimis ſanguinem, cito mouent, oleoſam eorum partem expandunt et actiuam reddunt, aquoſas minuunt, et corpus aliquantum exſiccant et calefaciunt. Proſunt ea, vbi ob defectum fluidi neruei circulus humorum languet, vel vbi ob aquoſam humorum indolem fibra muſcularis minus irritatur, ideoque minus ad agendum ſollicitatur. Vſum itaque habent in morbis acutis et putridis, ſi pulſus debilis inſimulque paruus et iuſto minus celer obſeruatur; ſin vero cum hacce debilitate magna celeritas coniuncta eſt, parcius ea et abſque roborantibus balſamicisue

ciſue vix propinanda ſunt. Si cum debilitate ſiccitas et aeſtus vrgent, Acetum vini et Oxymel ſimplex cum eis coniungas. In inflammatoriis morbis, etiamſi debilitas adeſt, nocent. In morbis chronicis, qui a colluuie aquoſa et hanc ob cauſam ceſſante irritabilitate et oborto lentore humorum proueniunt, non reiicienda ſunt. Si debilitas et laxitas in hiſce morbis ab indole humorum, nimis pituitoſa, ortum habet, cum reſoluentibus coniungere, praeſtat. Si viſcidum, nimis impactum, obſtructiones viſcerum producit, ſola nunquam vſurpanda ſed aliis remediis ideo addenda ſunt, quo actionem eorum iuuent. In atrabilariis morbis fere nocent. Proſunt inprimis laxis, frigidis, pituitoſis, aquoſis; nocent bilioſis, ſiccis, atrabilariis. Si ſola vſurpantur, doſis decem ad triginta guttas, ſaccharo exceptas, eſto. Variis remediis addita vel analeptica egregia praebent, vel aliorum remediorum vires augent. *Spiritui vitrioli dulci* vim anodynam, *Acido nitri dulcificato* diureticam tribuunt. Forte vtrumque acidum in vias vrinarias agit. An *Spiritus Nitri dulcis* iis, qui pulmonum debilitate laborant, minus conducat? Certe experientia hactenus nos docuit. An ſemper? Forte *Spiritus Nitri dulcis*, nondum rite praeparatus, acidus plerumque in officinis aſſeruatur, ſiquidem *Acidum* vitrioli dulcificatum, acido abundans, idem praeſtat. Fac vero, dulcificetur Spiritus nitri, vt cum Liquore anodyno ſit, an pulmonibus vltra aduerſatur?

§. 348.

§. 348.

Ad Analeptica plerumque referuntur corpora, grato odore praedita, e. g. *Cortex Cinnamomi, Caryophylli aromatici*, aliaque Aromatica et Balſamica eorundemque praeparata inprimis Olea deſtillata. Cum autem inter remedia neruina excitantia et neruina reficientia diſcrimen conſtituendum ſit, et aromata et balſamica vires plerumque excitent, neque tamen reficiant, ea potius ad mera tantum Excitantia neque ad Analeptica retulimus. Si tamen cum remediis excitantibus e. g. cum *Aqua Cinnamomi, Aqua Caryophyllorum* etc. Acida refrigerantia e. g. Acetum Vini vna cum ſaccharo et melle miſcueris, laudabilia omnino habebis Analeptica remedia. Hiſce enim vim excitantem denegandam non eſſe, certum eſt, cum autem cum excitante virtute alia, refrigerans quaſi, coniuncta ſit, atque eiusmodi remedia, vt hactenus oſtendimus, adſint, remedia, ſola vi excitante et calefaciente donata, ab Analepticis disiunximus. Imitemur itaque naturam, quae in Vino et Aceto ſubſtantiam refrigerantem cum excitante calefaciente coniunxit, ideoque nouam produxit, quae quidem vim excitantem habet, ſed ab ea omnino diuerſam, quae in corporibus, nullum acidum manifeſtum fouentibus, cum ſola tantum ſubſtantia calefaciente coniuncta deprehenditur. Quodſi igitur remedium neruinum excitans et calefaciens cum acido vegetabili vel etiam minerali diluto coniunxeris, naturam ſane imitaturus Analeptica remedia parabis quam plurima.

CAPVT

CAPVT III.

Antiſpaſmodica.

§. 349.

Antiſpaſmodica vocantur, quae odore, caput grauante, ingrato, ſe manifeſtant, fluidum nerueum quidem augent, ſed motum eiusdem lentiorem reddunt et auctum compeſcunt. Fibram muſcularem ea, niſi aliae ſubſtantiae adiunctae ſint, afficiunt quidem, ſed irritabiles eiusdem partes et mobiles lentiores quaſi reddunt, oleoſas humorum partes quidem augent, ſed vix exaltant, aquoſas partes quaſi figunt, horumque motum lentiorem reddunt, ideoque motum progreſſiuum, tum ob imminutum influxum fluidi neruei tum ob imminutam irritabilitatem, nunquam promouent. Ita autem horum remediorum mixtio conſtituta eſſe videtur, vt quidem partes ad neruos deferantur, ſed tales omnino, quae partibus fluidi neruei paulo craſſiores et minus mobiles ſunt, quibus commixtis fluidum nerueum, lentius factum, tarde et minus irritans ad fibram muſcularem propellitur: quo facto cauſa, quae ſpaſmum producit, fluidumque nerueum copioſe ad fibram muſcularem allicit, et irritabiles fibrae muſcularis partes, nimis mobiles et actiuas reddit, non quidem infringitur, ſed efficaciam ſuam, cum partes minus irritabiles minusque mobiles ei opponantur, vt antea, exercere nequit. Bene tamen perpendendum eſt, partibus antiſpaſmodicis alias actiuas et irritantes plerumque admixtas eſſe, quae interdum ipſam

cauſam

cauſam ſpaſmi immutant et debilitant, interdum autem eandem actiuam magis reddunt, licet, ob imminutum fluidi neruei influxum, aucta eiusdem vis vix ſtatim actiua facta eſſe videatur. Quapropter in exhibendis iſtis remediis ſemper horum mixtio et cauſae ſpaſmodicae natura ſimul perpendenda eſt, ſaepeque remediis iſtis, ſi partes, cauſae morbi fauentes, admixtae reperiantur, talia adiungenda ſunt, quae antiſpaſmodicae remediorum ſubſtantiae virtutem nequaquam turbant, ſed potius, dum cauſam morbi immutant et infirmant, ob hancce rationem augent promouentque. Praecipua nobis ſunt 1) *Succinum* eiusque *Sal* et *Oleum*; 2) *Liquor Cornu Cerui ſuccinatus*; 3) *Ruta hortenſis*; 4) *Radix Valerianae*; 5) *Gummi Galbanum*; 6) *Aſa foetida*; 7) *Caſtoreum*.

§. 350.

SVCCINVM; gall. *Ambre jaune, Succin*; germ. *Agtſtein, Bernſtein*. Eſt concretum minerale bituminoſum, coloris lutei, vel flaui, vel albidi, vel nigreſcentis, odoris, ſi teritur, debilis, aliquantum balſamici et grauis, ſin vero accenditur, fortis et graueolentis, ſaporis debiliſſimi, paulum amaricantis. Maxima eiusdem copia ex Boruſſiae regno adfertur, vbi in Mari Baltico vel aquae ſupernatans colligitur, vel ex terra, mari proxima *), effoditur. Si deſtillatur iſtud concretum, paucam aquam, acidum ſal ſolidum, olei tum ſubtilioris tum craſſioris magnam portionem et paucam

*) Conf. HARTMANN Succin. Pruſſ. Hiſt. Francof. 1677.

cam terram praebet. Exhibetur Succinum vel in *Puluere*, vel paratur ex eo *Eſſentia*, vel propinatur eiusdem *Sal acidum* vel *Oleum rectificatum*. *Puluis* vix aliquam mutationem in fibra muſculari et ſanguine producit fluidique neruei motum, ob aquoſam humorum indolem irregularem factum, quodammodo corrigere videtur. *Eſſentia Succini*, ope ſpiritus vini parata, maiorem paulo efficaciam prodit, fibram muſcularem primo quidem irritat, ſed motas in eadem particulas, nimis fluidas, lentiores reddit, easdemque quaſi denſat, aquoſas humorum partes conſumit, oleoſas quidem auget, neque vero exaltat, et ſanguini denſitatem conciliat, hinc fluidum nerueum, ob abundantes humorum particulas aquoſas nimis fluidum factum nec rite ſecretum et irregulariter motum, ad regularem magisque conſtantem influxum diſponit. Hinc prodeſt in morbis frigidis et aquoſis, vbi ob frigidam fere et aquoſam fluidi neruei, non ſatis irritantis, indolem, et inaequalem nec ſufficientem eiusdem influxum, irregulares et languidi ſaepe in corpore producuntur motus. Vix iuuat eadem nec raro nocet, ſi irregulares iſti motus a ſpiſſitudine humorum et immeabilitate vaſorum dependent; ſi tamen reſoluentia cum ea coniunguntur, conducit ſane, vbi ob pituitoſam ſanguinis humorumue ſpiſſitudinem parcior fluidi neruei ſecretio et tenuitas quaſi eiusdem producta deficientes et inaequales motus in corpore efficit. Hinc declarari poteſt, cur in catarrhoſis, rhevmaticis et paralyticis affectionibus, irregulari motu ſtipatis, laudata Eſſentia, cum reſoluentibus mixta, iuuamen adferat. Si ſiccitas adeſt, ab ea abſti-

abſtinebis. *Sal ſuccini acidum*, quod ex particulis acidis, cum oleoſo-balſamicis coniunctis, conſtat, fibram muſcularem irritat et mouet, denſitatem humorum minuit, oleoſas quidem partes humorum attenuat et fluidiores reddit, neque tamen ab aquoſis ſeparat, motumque fluidi neruei, ob oleoſas acres vel etiam oleoſo-alcaleſcentes humorum partes irregularem factum, corrigit et regularem reddit. Hinc laudabile remedium dat in morbis, vbi ob putridam humorum indolem, cum ſpiſſitudine humorum pituitoſa adhuc coniunctam, affectus ſpaſmodici oboriuntur; non nocet idem, licet minori cum ſucceſſu id fiat, ſi cum putrida aut alcaleſcente humorum indole, praegreſſa tamen pituitoſa ſpiſſitudine, tenuitas humorum adeſt. Sin vero putridus ſtatus a bile acri mota et oleoſis humorum partibus, acribus factis, dependet, et particularum aquoſarum inopia deprehenditur, *Sal ſuccini*, inprimis minus depuratum, non laudarem; aliter tamen ſe habet iſtud ſal, valde depuratum, quod quidem oleoſas quasdam partes, in ſinu reconditas, fouet, ſed multo minus, quam non depuratum, oleoſum eſt, ideoque in affectibus ſpaſmodicis a bile mota, cum viſcido tamen coniuncta, excitatis adhiberi poterit. Notabis itaque, quo magis depuretur, eo minus calidum eſſe, eoque minus etiam vim antiſpaſmodicam exercere. *Oleum Succini rectificatum* reliquis ſuccini praeparatis calidius eſt, et vim antiſpaſmodicam laudabilem exercet, ſi a nimia humorum colluuie aquoſa, et tenuitate eorundem vel etiam cum acido coniuncta, irregulares in fluido nerueo et reliquo corpore producuntur motus;

hinc frigidis, laxis pituitoſis et aquoſis iuuamen adfert; ſiccis, bilioſis, atrabilariis nocet. Si cum tinctura quadam alcalino-ſpirituoſa dictum oleum coniunxeris, vel etiam cum ſapone alcalino bene commiſcueris, in morbis pituitoſis ſpaſmodicis egregium medicamen habebis. Externe ſi vſurpatur, tumores frigidos feliciter ſaepe ad reſolutionem diſponit, membraque paralytica, ſi eo inunguntur, ad motum ſenſumque recuperandum, internis remediis ſimul in vſum vocatis, eo citius apta euadunt. Fac vero, praeparetur ex dicto oleo, cera et oleo quodam expreſſo vel etiam ſeuo *Balſamum ſolidum*, fricetur eo membrum affectum, oleo Succini iam inunctum, effectum meliorem ſperabis, quam ſi laudatum oleum ſolum inunctum fuerit. Dicta enim methodo obſeruata actio iſtius olei diuturnior euadit, nec viribus tam cito deſtituitur.

§. 351.

LIQVOR CORNV CERVI SVCCINATVS ad producta pharmacevtica pertinet. Paratur ex ſpiritu Cornu Cerui cum Sale ſuccini ad ſaturationem vſque commixto. Blandum quidem, ſed diu inhaerentem, ſtimulum fibrae muſculari applicat, denſitatem humorum minuit, partes eorum oleoſo-ſalinas magis actiuas reddit, aquoſas quidem minuit et humorum motum aliquantum intendit, neque tamen aeſtum auget, materiam pituitoſo-vnguinoſam vel etiam acido-pituitoſam attenuat, ex ſubtiliſſimis vaſis extricat et mouet, motumque fluidi neruei, ab eadem materie irregularem factum, regularem reddit. Prodeſt itaque in morbis

morbis chronicis, vbi ataxia ſpirituum et affectus ſpasmodici a ſanguine pituitoſo, cum materie vnguinoſa acri vel etiam acida coniuncto, oriuntur. Non nocet in acutis morbis, ſi materies pituitoſa acris, ad neruos delata, fluidum nerueum peſſundat, ſecretionem impedit et debilem humorum circulum producit. Si tamen in iisdem morbis nimia ſiccitas et aquoſarum partium defectus adeſt, motusque irregularis ab oleoſa parte humorum, nimis exaltata, dependet, laudatus Liquor nocet. Vix idem conducit in morbis, qui a materie atrabilaria, aut bilioſa, aut oleoſa rancida ortum habent, vel etiam, vbi humores nimis diſſoluti ſunt. Si dictus liquor cum ſubſtantiis graueolentibus per longam triturationem coniungitur, poſtea colatur, remedium, ad multos morbos ſpaſmodicos proficuum, obtinetur. Eundem etiam cum acidis mineralibus, rite dulcificatis, coniungere, nihil repugnat. Datur a guttis decem ad quinquaginta et vltra.

§. 352.

RVTA HORTENSIS *); gall. *Ruë*; germ. *Raute, Garten-Raute, Wein-Raute.* Colitur in hortis. Odorem habet ſingularem, fortem, ingratum, balſamicum, ſaporem vero ingratum, amaricantem, acriuſculum. Ex partibus conſtat terreis et mucilagineis, quibuscum oleoſae ſubtiliores reſinoſae et ſalſae remixtae ſunt. In reſinoſis acris inprimis ſubſtantia, in oleoſis autem volatilis illa balſamica et ingrata, inque mucilagineis

*) *Ruta* (graueolens) LINN. Spec. p. 548. BLACKW. 7.

gineis ſalina ſalſa reſidet. Parantur ex hac planta *Infuſum aquoſum* et *acetoſum, Aqua deſtillata, Oleum Aethereum* et *Oleum* per infuſionem paratum. *Infuſum aquoſum* lenem ſtimulum, diu non inhaerentem, fibrae muſculari applicat, denſitatem humorum aliquantum minuit, humores leniter commouet, aquoſas partes minuit, hinc corpus aliquantum ſiccat et calefacit, acidae acrimoniae aduerſatur, ideoque in morbis chronicis, qui a laxitate et aquoſa, pituitoſa acidaue humorum indole proueniunt, et vbi ſpaſmi ab inordinato influxu fluidi neruei, ob easdem cauſas producto, vexant, vtile cenſetur. *Infuſum acetoſum* fortiorem ſtimulum et diutius inhaerentem applicat, humores magis attenuat, aquoſas partes non ita minuit, ideoque corpus minus ſiccat, minusque calefacit, putredini vero aduerſatur et vſum habet, vbi in febribus putridis materies putrida, cum viſcido coniuncta, lentorem humorum et ſpaſmos producit; immo idem Acetum in morbis chronicis ſpaſmos, a materie putrida viſcidaue productos compeſcit. *Aqua deſtillata* ſtimulo quidem ſat viuido fibram muſcularem afficit, ſed cito per corpus tranſit et irregulares inprimis fluidi neruei motus corrigit, caeterum humores aliquantum commouet et corpus calefacit; hinc in morbis neruorum, qui a viſcida et putrida humorum indole, vel a nimia aquoſitate, vel etiam a viſcido pituitoſo acido in corporibus laxis, frigidisue producuntur, egregium antiſpaſmodicum praebet. Externe memoratam Aquam in cancro aperto laudant, ſed indoles et conſtitutio aegrorum ſedulo perpendenda eſt. *Oleum aethereum* fortem diuque

que inhaerentem ſtimulum fibrae muſculari applicat, humores valide attenuat, oleoſas partes expandit, aquoſas valde diſſipat, motum humorum intendit, et auctum diu conſeruat, et, actione abſoluta, ſiccitatem, calorem auctum et irregularem fluidi neruei motum correctum relinquit. Conducit in morbis chronicis, qui a viſcido pituitoſo, aquoſo vel etiam acido copioſo proueniunt, et ſpaſmis ob eandem cauſam ſtipati ſunt. Prodeſt vero frigidis, aquoſis, laxis, nunquam calidis, ſiccis, macilentis, bilioſis, atrabilariis. *Oleum infuſum*, quod ex oleo quodam expreſſo et Ruta per digeſtionem paratur, externo vſui inſeruit, et, abdomini affrictum vel in clyſmate vſurpatum, ſpaſmis medetur.

§. 353.

RADIX VALERIANAE, PHV PONTICI ſeu PHV MAGNI *); gall. *Racine de grande Valeriane*; germ. *Groſſer Baldrian*. Radix huius plantae, quae in hortis colitur, digitum ſaepe craſſa eſt, multis fibris donata, coloris foris ex fuſco-cinerei, intus albicantis, odoris balſamici, oleoſi, graueolentis, ſaporis acris, amaricantis, oleoſo-balſamici. Partes terreae complures, cum vnguinoſo-mucilagineis, aliquibus reſinoſis et oleoſis ſubtilioribus coniunctae, receptacula ſiſtunt, in quibus actiuae illae, odore et ſapore diſtinguendae partes continentur. Parantur ex ea *Puluis, Infuſum* et *Decoctum aquoſum* nec non *Infuſum vinoſum*. Praeparata haec ſtimulo non exiguo, diu tamen inhaerente, fibram muſcu-

*) *Valeriana* (Phu) LINN. Spec. p. 45. BLACKW. 250.

muſcularem irritant, denſitatem quidem humorum minuunt, ſed oleoſas partes exaltant, aquoſas diſſipant, motum humorum promouent, calorem augent, et irregularem fluidi neruei motum compeſcunt. Iuuant inprimis in morbis chronicis, vbi copioſa pituita, cum abundante aqua coniuncta, vel etiam acido vnita, ſimulque laxitas ſolidorum cauſam dedit, et ob huncce ſtatum irregulares in fluido nerueo motus producti fuerunt. Iuuant etiam in morbis, vbi ob lentorem humorum et ob pituitam, diu in partibus haerentem, corrupti humores, et lenta putredo, vlceraque in partibus ſuboriuntur. Diu in corpore commoratur *Puluis*, ſique cum Liquore Cornu Cerui ſuccinato diu trituratur, tritiſque aqua quaedam deſtillata neruina additur, in multis morbis ſpaſmodicis, a cauſa frigida putridaue ortis, incomparabile habebis remedium. *Infuſum aquoſum* actionem breuiori multo tempore abſoluit, inque iisdem morbis valet. *Decoctum* ſubſtantia balſamica maximam partem orbatur, acrius eſt magisque ſtimulat; ſi tamen cum Infuſo ſimul commiſcetur, plus praeſtat, quam ſi ſolum Infuſum ingeritur. Calefaciente vi eminet *Infuſum vinoſum*, humores fortius mouet, magis exſiccat, minorem vim antiſpaſmodicam in neruos habet; laudandum tamen, ſi calor naturalis valde imminutus eſt, et humores aquoſi abundant, et digeſtio inde laeditur, inſimulque ſpaſmi producuntur. Sin vero cauſa ſpaſmorum a materie bilioſa, acri rancida oleoſa dependet, acetum vini, cum Puluere digeſtum laudabis. In morbis certe frigidis,

vbi

vbi ataxia ſpirituum urget, *Valerianae* praeparata propinare, non poenitebit.

§. 354.

GVMMI GALBANVM; gall. *Gomme Galban*; germ. *Galban, Mutter-Harz.* Eſt ſubſtantia gummoſo-reſinoſa, quae ex planta quadam *) colligitur, et ex Syria et Arabia ad nos adfertur. Subſtantia haec molliuſcula, tenax eſt, digitisque adhaeret. Colorem ex fuſco flaueſcentem habet, odorem balſamicum, oleoſum, graueolentem, ſaporem acrem, amaricantem. Ex pluribus particulis vnguinoſo-gummoſis, cum reſinoſis oleoſisque ſubtilioribus perpaucis commixtis, conſtat, in quibus, tanquam receptaculis, actiuae illae balſamicae et acres amaricantes partes latent. In *ſubſtantia* plerumque et quidem cum aliis commixtum in Pilularum forma exhibetur, tuncque diu in corpore moras nectit, diuque vim ſuam et efficaciam prodit. Sin vero cum oleo quodam expreſſo per longam triturationem coniungitur, poſtea et fere ſub finem inter terendum tinctura quaedam alcalina additur, totum fere Gummi in aqua ſolubile euadit, et remedium maxime actiuum obtinetur, quod ingeſtum ſtatim agit, breuiore tempore, quam Gummi in ſubſtantia, actionem abſoluit, ſed multo fortius corpus et materiam morboſam aggreditur. Fibram muſcularem ſtimulo non leui, diu tamen perdurante, irritat, denſitatem humorum minuit,

*) *Bubon* (Galbanum) LINN. *Spec.* p. 364. HERMANN. Parad. Batav. Lugd. Batav. 1705. p. 163.

nuit, oleoſas partes auget et magis actiuas reddit, aquoſas minuit, humorum motum intendit, et irregularem fluidi, neruei motum regularem reddit. Prodeſt in morbis frigidis, aquoſis, pituitoſis, vbi ob aquoſam et pituitoſam vel etiam acido-pituitoſam humorum indolem circulus humorum languet, et ob id in viſceribus humores ſtagnant et corrumpuntur, tuncque irregulares motus in fluido nerueo oboriuntur. Inde patet, cur foeminino ſexui, Spirituum ataxiae adeo obnoxio, tam egregium auxilium adferat laudatum Gummi; cur viros hypochondriacos perſaepe iuuet. Verum, ſi ſpaſmi et ataxia Spirituum a cauſa calida, bilioſa, atrabilaria ortum habent, nocet. In morbis calidis, inprimis febribus, etiam frigidioris indolis, non laudarem. Caue etiam, ne exhibeas corporibus, quae haemorrhagiis obnoxia ſunt. Emplaſtra quoque et balſama ingreditur hoc Gummi, dummodo recta adhibeatur praeparatio. Externe certe abdomini impoſita, in morbis ſpaſmodicis et obſtructionibus viſcerum non ſpernenda ſunt. Si ad ſuffimigia receperis laudatum Gummi, in morbis vterinis, a laxitate vel etiam putrida intus ſtagnante materie prouenientibus, iuuamen habebis.

§. 355.

ASA FOETIDA; gall. *Aſa foetida;* germ. *Stinkender Aſant, Teufels-Dreck.* Eſt ſubſtantia vnguinoſo-gummoſa, paucis particulis reſinoſis et oleoſis ſubtilioribus remixta, coloris ex rufo-flaueſcentis, quae, ex radice

radice plantae cuiusdam vmbelliferae *) ſauciata emanans, in Perſia colligitur. Odor eius oleoſo-balſamicus, admodum graueolens, alliaceus eſt, ſapor acris, amaricans nauſeoſus. Acrem ſtimulum diuque inhaerentem fibrae muſculari applicat, humores reſoluit, oleoſas eorum partes exaltat et acres reddit, aquoſas minuit, circulum promouet et intendit, motumque fluidi neruei, irregularem factum, reſtituit. Propinatur in pilulis, tuncque diu in corpore commoratur, vel ad methodum §. 354. deſcriptam ſoluitur, ſicque magis actiua fit, et breuiori multo tempore actionem abſoluit. Vſum habet in morbis chronicis frigidis, vbi ob nimiam laxitatem ſolidorum, et aquoſam, pituitoſam, nec non acidam humorum indolem motus irregulares, tum in fluido nerueo tum etiam in ſyſtemate ſanguineo, producuntur. Hinc in affectibus vteri et primarum viarum ſpaſmodicis et digeſtione laeſa prodeſt. Multa cum Gummi Galbano communia habet, ſed multo magis actiua eſt. Nunquam ſane, niſi eo in caſu propinanda eſt, vbi nulla febris morbum comitatur. Nocet certe, ſi ſpaſmi ab acrimonia bilioſa aut atrabilaria vel a plethora ortum ducunt. Iuuat plerumque corpora laxa, pituitoſa, aquoſa, non aeque ſicca, macilenta, bilioſa, calida. Datur a ſcrupulo vno ad drachmam dimidiam. Si ad Emplaſtra et Balſama recipitur et abdomini applicatur, in pituitoſis obſtructionibus viſcerum, inprimis hepatis et lienis,

*) *Ferula* (Aſa foetida) LINN. Spec. p. 356. KAEMPFERI Amoenit. Exotic. Lemgo 1712. Tab. 536.

lienis, laudem meretur. Cum Vitello oui trita et clyſmatibus addita doloribus et ſpaſmis, a cauſa frigida natis, medetur. In ſuffimigiis vſurpata eadem praeſtat, quae Gummi Galbanum, ſed efficacius operatur.

§. 356.

CASTOREVM; gall. *Caſtorée, Caſtoreum;* germ. *Bibergeil.* Ex animali depromitur, quod paſſim in Germania ſaepe in Moſcouia et Polonia et copioſe in Canada occurrit, et *Caſtor* *) vocatur. Optimum ex Ruſſia adfertur. Subſtantia haec, coloris fuſci, ouum gallinaceum magnitudine ſaepe aequans, glandulas ſiſtit inguinales ſeu folliculos glanduloſos, qui, ſi recentes diſquiruntur, molliuſculi ſunt, et materiem ſpiſſiuſculam, vnguinoſam, in variis loculamentis contentam, praebent, quae in exſiccatis ſolidam magis formam habet, vnguinoſa tamen deprehenditur. Odor fortis, oleoſus, graueolens eſt, ſapor vero acris, amariuſculus, itidem oleoſus. Ex partibus componitur pluribus terreis, vnguinoſo-viſcidis, cum non nullis aliis, ad reſinoſarum indolem accedentibus, coniunctis. In Officinis proſtant *Puluis* et *Eſſentia,* cum Spiritu vini parata. *Puluis* fibram muſcularem ſtimuló haud leni, aliquantiſper perdurante irritat, oleoſas partes humorum magis actiuas reddit, motum ſanguinis intendit, aquoſas partes aliquantum minuit, corpus ſiccat, et fluidi

*) *Caſtor* (Fiber) LINN. Syſtem. natur. p. 58. Hiſt. naturelle du Cabinet du Roi T. VIII. p. 282. et Act. Petropolit. T. II. p. 415.

fluidi neruei motum irregularem corrigit. Prodeſt inprimis, ſi ſpaſmi et ataxia Spirituum a nimia aquoſitate, vel acida, vel etiam pituitoſa indole humorum proueniunt. Sin vero a cauſa biliosa, vel alcaleſcente, vel etiam putrida iidem dependent, laudatus Puluis vix conducit, ſed potius nocet; quodſi tamen cum *Aceto vini* digeritur, et Acetum colatum in vſum ducitur, in ſpaſmis, ab his cauſis natis, iuuat. Idem etiam conducit, ſi ſpaſmi haemorrhagiis ſuperueniunt, vbi tamen ſaepe etiam iuuamen adfert *Puluis Caſtorei cum Nitro* propinatus. Si cum cauſa calida viſcidum pituitoſum coniunctum eſt, idem Puluis cum Nitro vel etiam *Eſſentia*, quae ex Liquore Cornu Cerui ſuccinato vel ſimili, diu cum Puluere Caſtorei triturato et colato *) paratur, praeſtat. Si Aqua Caſtorei per deſtillationem paratur, remedium antiſpaſmodicum lene, inque multis morbis ſpaſmodicis, etiam calidis, proficuum obtinetur. Idem dicendum eſt de *Infuſo Caſtorei aquoſo;* id tamen notabis, Aqua deſtillata paulo calidius eſſe, citoque actionem ſuam abſoluere.

§. 357.

Alia ſunt, quae interdum pro ſcopo, ſpaſmos ſedandi, commendantur remedia. Sic 1) *Oleum Cornu Cerui foetidum,* quod per deſtillationem ex Cornu Cerui obtinetur, externe pro odoratu ſpaſmis vexatos iuuat, interne vero, ob tenacitatem inflammantem, nunquam commendandum eſt. Sin vero idem Oleum ſaepe

*) Vid. Pharmac. Noſtr. l. c. p. 148. §. 184.

ſaepe rectificatur, tenacitatem et lentorem amittit, et aromaticum et ſpirituoſum quaſi euadit, interno vſui aptum; tunc *Oleum animale Dippelii* vocatur, quod inſignem vim penetrantem, ſtimulantem, commouentem habet, oleoſas humorum partes expandit et mouet, aquoſas diſſipat, corpus exſiccat et calefacit, et morbis medetur, qui in corporibus laxis ab aquoſa et pituitoſa nec non acida humorum indole et inſigni lentore humorum proueniunt; hinc etiam ſpaſmos, a ſimili cauſa ortos, interdum tollit. Igneum vero medicamentum eſt, quare caute ſemper omnibus, nec vnquam bilioſis, calidis, ſiccis, ſanguineis, debilibus propinandum. 2) *Oleum Tartari foetidum* eundem vſum, quem Oleum Cornu Cerui foetidum habet, externe praeſtat. Si rectificatur, penetrantiſſimum euadit et potentiſſimum reſoluens ſiſtit, quod, externe tumoribus frigidis affrictum, ad reſolutionem eorundem multum confert. 3) *Cinnabaris factitia,* ob cauſticam ſubſtantiam, quae parciſſime ineſt, reſoluentem quidem vim obtinet, ſed antiſpaſmodicam vix habet, nec, niſi magna in doſi propinata, effectum edit. 4) *Viſcum quernum* ob viſcoſas particulas, in quibus ſubſtantia quaedam balſamica reſidet, interdum antiſpaſmodicam vim exerit, ſed eo in caſu hanc forte praeſtat, vbi ataxia ſpirituum a nimia tenuitate et acida humorum indole prouenit. *Vngula* et *Cornu Alcis*, *Cranium humanum* et eiusmodi plura ad ridicula pertinent, et ex ignorantia aut ſuperſtitione epilepſiam et ſpaſmos tollere creduntur. Alia, antiſpaſmodica vi omnino praedita, ob alias adiunctas vires in aliis capiti-

capitibus conſiderata, facile huc transferri poterunt.

CAPVT IV.

S e d a n t i a.

§. 358.

Sedantia remedia vocantur, quae in ſenſorio communi talem mutationem producunt, vt dolor ſeu cauſa doloris vel minus vel nullo plane modo, ad minimum per tempus, percipiatur. Eiusmodi remedia ex particulis inprimis conſtant, quae maxime ſubtiles et volatiles ſunt, quaeque odore, admodum graueolente, ſe manifeſtant. Praeterea quoque aliae magis fixae cum his coniunctae ſunt, quae itidem actiuae deprehenduntur. Potiſſimum quidem memorata remedia in neruos agunt, ſed ſimul quoque efficaciam ſuam, ſaepe non exiguam, in fibram muſcularem et ſanguinem exercent. Si remediis iſtis vſurpatis doloris tantum ſenſus imminuitur, *Sedantia* vel *Anodyna* vel *Paregorica* vocantur. Si ſomnum producunt, *Hypnotica*, *Somnifera* et *Narcotica* audiunt. Inter multa, quae a nonnullis laudantur, vnice *Opium* commendamus.

§. 359.

OPIVM; gall. *Opium de Thebes;* germ. *Getrockneter Mohnſaft, Opium.* Adfertur ex regionibus orientalibus; optimum *Thebaicum* cenſetur. Eſt ſuccus condenſatus, qui ex inciſis capitibus *Papaueris Satiui*

tiui *) effluit, a ſole condenſatur, poſtea colligitur inque magnas glebas formatur. Color huius ſucci ex nigro-rufeſcens eſt, odor admodum graueolens, nauſeoſus, ſapor vero acris, amaricans. Conſtat ex particulis terreis, gummoſis, reſinoſis et vnguinoſis, in quibus ſubſtantia illa actiua graueolens reſidet. Multa et varia ex eo praeparantur remedia ſic dicta opiata, inter quae autem *Extractum Opii* et *Laudanum liquidum Sydenhami*, vt praecipua, aeſtimabis. Opium ſtatim poſt ingeſtionem fibram muſcularem ſtimulo acri, nec per breue tempus durante, irritat, humores inſigniter attenuat, oleoſas partes exaltat et acriores reddit, aquoſas conſumit, motum humorum primo intendit et calorem generat, humoribus vero aeque ac particulis, gluten nectens conſtituentibus, nimium attenuatis irritabilitatem et humorum motum progreſſiuum minuit, et languori ob hancce cauſam anſam praebet, ſimulque excretiones quaſcunque, ſudore excepto, plane impedit. In neruos manifeſte agit: primo fluidi neruei motum inſigniter intendit, paulo poſt ſecretionem impedit, et motum admodum lentum efficit, immo pene eundem ad tempus ſufflaminat, et pro varia quantitate aſſumta vel diſpoſitionem ad ſomnum capiendum inducit, vel ſomnum ſaepe profundum immo quietem omnium actionum perpetuam, mortem profert. Actione abſoluta, niſi mortem produxerit, irritabilitatem et languores et debilitates vniuerſi corporis relin-

*) *Papauer* (ſomniferum) LINN. Spec. p. 726. BLACKWELL 482. 483.

relinquit, et ſtuporem in partibus quibuscunque, inprimis ſenſorio communi, producit, idque eo magis, quo crebrius, quoue copioſius iſtud ingeſtum fuit. Fluidum nerueum itaque primo augere et attenuare, tum in citiſſimum motum ducere et diſſipare, vaſis autem quibuscunque nimium diſtentis, humoribusque attenuatis et copioſe ad caput deriuatis, preſſione ſimul oborta, in neruos partes, fluidi neruei particulis craſſiores, intrudere, ſimulque ſecretionem dicti fluidi, tum ob appulſum partium craſſiorem et ob preſſionem, imminuere, ideoque ob varias haſce cauſas motum et influxum in partes prorſus fere impedire videtur. Inde autem ſequitur, motum humorum, cum irritabilitas, tum ab ipſo Opio, tum ab impedito affluxu fluidi neruei imminuatur, inſigniter imminui, laxitatem partium produci, cumque in principio humores omnes ad peripheriam determinentur, perſpirationem, tum ob laxitatem cutaneam et reſiſtentiam ablatam, tum ob humorem perſpirabilem auctum, augeri, reliquas autem excretiones ſufflaminari et ſiccitatem partium relinqui. Nunquam indicatur vſus Opii, niſi eo in caſu, vbi dolor ingens et euacuationes inſignes vrgent; verum, tum quoque maxima cautione opus eſt. Si acre quoddam dolorem et euacuationes produxit, Opio vſurpato, dolor quidem et euacuationes ad tempus tolluntur, ſed acre non corrigitur, quod ſubdole corpus deſtruit et, actione opii abſoluta, efficacius demum redit, et corpus ad interitum diſponit. Niſi itaque acre remotum fuerit, opium vix exhibendum erit; ſi tamen ataxia ſpirituum et dolor vrget, et

euacuationes inſignes mortem fere minantur, Opium quidem valet, ſed abſque demulcentibus et mucilagineis iſtud exhibere, periculoſum eſt. Si ſudor profuſiſſimus vrget, Opium nocet, ſi haemorrhagiae vrgent, cauſam earum perpendas: ſi enim a plethora, ab orgaſmo humorum, a nimia tenuitate, a disruptis vaſis proueniunt, Opium certe cauſam auget; immo rariſſime ad compeſcendas haemorrhagias vtile cenſetur dictum remedium, ſique nihilominus propinatur, nunquam tamen abſque aliis remediis, cauſae aduerſantibus, exhibendum eſt. Opium in ſubſtantia vel in puluere exhibere, non laudarem: nunquam enim doſis Opii determinari poterit et ad granum vnum, in ſubſtantia propinatum, quietem aeternam interdum produxiſſe, viſum eſt. *Optima methodus exhibendi* eſt, ſi duo grana Extracti Opii duabus tribusue vnciis aquae cuiusdam deſtillatae ſoluuntur, et medicamentum hoc per vices cochleatim ingeritur. Sic ſaepe parua doſi, et cochleari vno aut altero ſumto, effectus laudabilis ſequitur: alio tempore plura cochlearia ſenſim ingerenda ſunt, et tota quantitas praeſcripta ingeritur, immo ſaepe plus requiritur, antequam ſperatus effectus obſeruatur. Qui vero ita vſurpauerit Opium, nunquam nocebit, nec generoſum et actiuum hoc remedium metuere vnquam tenebitur. Si per guttas ingerendum eſt Opium, *Laudanum Liquidum Sydenhami* eligatur, quod ex Opio, Croco, Cinnamomo, et Caryophyllis, cum Vino Hiſpanico digeſtis paratur. Propinatur a guttis quinque ad quindecim, vel per ſe vel cum aliis remediis coniunctum. Calidius hoc cen-

cenſendum eſt, caeterum eadem praeſtat. In vniuerſum demum de Opiatis notandum eſt, ſtimulo eorum, ſi per aliquot dies continuantur, facile aſſueſcere naturam humanam, et doſin, quae primo die effectum aliquem notabilem edidit, altero die eundem non oſtendere, hinc cauta manu eam aliquantum augere, coguntur medentes. Sed ſemper prudentia opus eſt: Opio enim diu vſurpato, corpus inſignes patitur mutationes. Ad Opiata pertinent *Diaſcordium Fracaſtorii*, *Mithridatium Damocratis*, *Philonium Romanum*, *Requies Nicolai*, *Theriaca Andromachi*, *Laudanum diureticum*, *Laudanum hyſtericum*, *Laudanum opiatum* et alia plura, quibus vero, cum ſingulare quid non praeſtent, et Extracto Opii reſpectu virtutis viliora habenda ſint, Officinae carere omnino poſſunt.

§. 360.

Alia praeterea ad Paregorica et Narcotica referunt remedia: Sic 1) *Crocus*; 2) *Cynogloſſum*; 3) *Folia* et *Semina Hyoſcyami albi*; 4) *Mandragorae radix*; 5) *Folia* et *Baccae Belladonnae*; 6) *Cicutae herba* interdum commendantur. Sed, pro ſcopo ſomnum producendi, ſuſpecta ſunt, et plurima eorum inter venena referenda. CICVTAM *) quidem et inprimis eius *Extractum aquoſum* vel etiam *Infuſum aquoſum* interdum in curando cancro quidquam valere, recentiores experientiae docent. Sed caute vſurpanda eſt haec herba; nimium enim humores diſſoluit, et licet particu-

 larum

*) *Concium* (maculatum) LINN. Spec. p. 349. Fig. vid. in STOERCK. Supplement de Cicuta.

larum conſtituentium mixtio, nondum ſatis comperta, materiae carcinomaticae mixtioni, itidem nondum ſatis notae, interdum aduerſari videatur, ſaepe tamen fruſtra vſurpatam eſſe, experientia pariter docet. Si in vſum ducitur, pilulae ex puluere herbae ſiccatae et extracto parandae ſunt, tuncque a granis duobus aut quatuor incipiendum et doſis ſenſim augenda eſt; ſimulac autem vertigo, nauſea, ventriculi dolor animaduertuntur doſis vel imminuenda eſt, vel a remedio prorſus abſtinendum. Si *Infuſum aquoſum* requiritur, pulueris herbae ſiccatae drachmae dimidiae infundantur vnciae quatuor vel ſex aquae ebullientis, infuſum tunc ſtudioſe coletur et ſenſim ingeratur. Extractum ſolutum vel etiam Infuſum aquoſum externe quoque, ad vlcera carcinomatica aliaque mali moris depuranda, ſaepe felici cum ſucceſſu vſurpatur. An autem in reſoluendis tumoribus ſcirrhoſis aliisque indurationibus partium efficax ſemper cenſenda ſit Cicuta, experientia, ſollicite inſtituta, declarabit. Saepe eam auxilium tuliſſe, ſaepe fruſtra vſurpatam eſſe, certum eſt. *Belladonnae* folia, tumori ſcirrhoſo impoſita, ad laudabilem ſuppurationem eum perduxiſſe, vidimus. *Hyoſcyami* folia, cancroſo vlceri applicata, effectum aliquem laudabilem oſtendiſſe, ſed paralyſin partis effeciſſe, notant. Laudant praeterea *Aconitum, Stramonium* aliaque narcotica in cancro et tumoribus ſcirrhoſis vſurpanda; ſed audaciae omnino accuſantur et vitio eis vertitur, qui nec morbum ſatis nec aegri conditiones nec ipſum remedium perueſtigant, et tamen nimis cito et abſque ſumma cautione ad efficaciſſima illa confu-

giun

giunt corpora, inque his ſolis vnicum auxilium quaerunt. Medicus ſis, ſi iſtis vti deſideras; de hominis vita agi, memento.

APPENDIX.

Anthelmintica.

§. 361.

Anthelmintica vi vocis remedia contra inteſtinorum lumbricos deſignant. Cum vero vermes non ſolum in primis viis hoſpitentur, ſed etiam alia inſecta in ſuperficie corporis, praecipue in piloſis eiusdem partibus reperiantur, ſub Anthelminticorum remediorum nomine omnia medicamenta, quae vermibus et inſectis, in corpore interne et externe reperiundis, aduerſantur, comprehendimus. Notandum praeterea eſt, proprie hic de iis medicamentis, quae ob ſingulare principium vermibus infeſta ſunt, agendum eſſe. Cum autem multa remedia ſint, quae, licet nullo habito reſpectu ad vermes, ob aliam cauſam ſaepe propinentur, nihilominus tamen, ſi vermes adſunt, corpus ita mutant, vt vermes ſimul afficiantur, iidemque vel enecati vel viui ex corpore expellantur, non ſolum Anthelminthica ſtricte ſic dicta hic conſideramus, ſed alia etiam, quae ob alias vires in aliis capitibus a nobis conſiderata iam ſunt, ſimul tamen corpus ad expellendos vermes ſollicitant, breuiter indicamus.

§. 362.

Medicamenta, quae peculiari quodam principio in ipſos vermes agunt, hosque ipſos vel ingrato quodam ſenſu afficiunt, et ex nido ſuo expellunt, vel eosdem necant, odore plerumque ingrato, vel nauſeoſo, vel foetido, vel caput grauante, pariterque ſapore vel acri, vel amaro, vel nauſeoſo, vel ex his mixto, ſe manifeſtant. Cum autem haec ipſa remedia ſolidas fluidasque corporis humani partes ſimul afficiant, easdemque ad enecandos vel expellendos vermes aptiores multo reddant, non poteſt aliter fieri, quin effectus eo efficaciores ſint, quo fortiores vires iſtae vnitae eſſe ſolent. Inter permulta, quae tanquam Athelmintica commendantur, eminent prae reliquis 1) *Semen Cinae;* 2) *Semen* et *Summitates Tanaceti;* 3) *Allium;* 4) *Cepa;* 5) *Amara quaecunque;* 6) *Purgantia* inprimis *draſtica* et *amara;* 7) *Graueolentia;* 8) *Mercurialia.*

§. 363.

SEMEN CINAE *), SEMEN SANTONICVM; gall. *Semence contre les vers;* germ. *Wurm-Saamen, Zittwer-Saamen.* Semina haec parua ſunt, oblonga, colorisărideſcentis vel ex flaueſcente viridis, odoris balſamici, nauſeoſi, graueolentis, ſaporis acris, amari, nauſeoſi. Ex partibus conſtant terreis pluribus, quibuscum gummoſo-reſinoſae commixtae ſunt; etiam oleoſas quasdam aethereas partes, pauciſſimas tamen, iis ineſſe

*) *Artemiſia* (Santonicum) LINN. Spec. p. 1185. GMELIN. Flor. Sibir. Petropol. 1747. T. I. p. 115. Tab. 51.

ineſſe, perhibent. In reſinoſis inprimis virtus praecipua latet. Vſurpantur *Semina integra* vel *Eſſentia* eorum *Spirituoſa*. Fortem ea diuque inhaerentem ſtimulum fibrae muſculari applicant, eandemque ad motum ſollicitant, humorum partes oleoſas exaltant et acriores reddunt, aquoſas diſſipant, circulum humorum promouent, calorem augent, corpus exſiccant, neruos minus grate afficiunt, ataxiam ſpirituum ſaepe producunt, et vermibus aduerſantur. Ob vermes plerumque propinantur, ſed hominibus quibuscunque non omnino conducunt. Proſunt inprimis laxis pituitoſis, aquoſis, acidis, frigidis; minus conducunt, nec raro nocent bilioſis, atrabilariis, ſiccis, macilentis, ſanguineis et vbi ſolida ad rupturam procliuia ſunt. Praeſcribuntur plerumque cum extractis amaris, melle aut Syrupis. Eſſentia multo calidior eſt, et ſaepe minorem vim anthelminticam habet. Raro haecce ſemina in officinis noſtris occurrunt, ſique adſunt, plerumque cum variis quisquiliis remixta deprehenduntur. Puriora itaque eligenda ſunt et integra a puluere, foliolis capſulisque ſeminalibus maximam partem ſeparata. Dantur a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam vel etiam integram.

§. 364.

TANACETVM VVLGARE *); gall. *Taneſie*; germ. *Rheinfarn*. Odor huius herbae, inprimis ſummitatum, ingratus, nauſeoſus, graueolens eſt, ſapor acriuſculus, amarus, nauſeoſus. Ex partibus conſtat mucilagineo-terreis, quae cum gummoſo-reſinoſis et oleoſis aethe-

*) *Tanacetum* (vulgare) LINN. Spec. p. 1184. BLACKWELL. 300.

aethereis commixtae ſunt; etiam camphoratam ſubſtantiam ineſſe, dicunt. Parantur ex hac planta *Infuſum aquoſum* et *vinoſum* nec non *Decoctum* et *Extractum aquoſum*. *Infuſum aquoſum* fibram muſcularem ſtimulo, diu inhaerente nec leni, irritat et ad motum ſollicitat, partes humorum oleoſas expandit, aquoſas conſumit, motum humorum intendit, corpus calefacit et ſiccat, neruos minus grate afficit et vermibus aduerſatur. Prodeſt in morbis chronicis, qui a viſcido pituitoſo, aquoſo, acido, laxitate ſolidorum et inde dependente lentore humorum dependent, prodeſt etiam in morbis, in quibus ob viſcidum pituitoſum, diu in partibus ſtagnans, putrida materies lente ſuboritur, prodeſt demum, vbi ob eandem cauſam vermes in primis viis nidulantur. Hinc in obſtructionibus viſcerum pituitoſis, vitiis digeſtionis, morbis vteri et glandularum viſcidis ſaepe proficuum eſt. Iuuat laxa, pituitoſa, aquoſa, frigida, non aeque bilioſa, macilenta, ſicca, ſanguinea, calida. Idem fere valet de *Infuſo vinoſo;* calidius tamen eſt magiſque exſiccat, nec vnquam conducit, niſi viſcidum ſolutum iam ſit maximamque partem euacuatum. *Decoctum* et *Extractum aquoſum* remiſſius agunt, amara quidem ſunt, ſed volatili ingrata et nauſeoſa ſubſtantia fere deſtituta. Hinc pene, vt alia amara, agunt. *Semina Tanaceti* multa cum Cinae ſeminibus communia habent, ſed non adeo nauſeoſa ſunt et ingrata, neque tam efficacia. Saepe haec cum Seminibus Tanaceti commixta reperiuntur. Saepe etiam iisdem ſubſtituuntur. Praeſcribuntur tum haec tum illa ſemina cum melle aliisque remediis, inprimis amaris.

§. 365.

ALLIVM SATIVVM *); gall. *Ail;* germ. *Knoblauch.* Planta indigena eſt. Odorem fortem habet, oleoſo-ſpirituoſum quaſi, valde nauſeoſum, ſaporem acrem, itidem nauſeoſum. Ex partibus conſtat pluribus aquoſis, mucilagineo-terreis oleoſis pauciſſimis, in quibus virtus praecipua latet. Fibram muſcularem viuido ſtimulo ad motum ſollicitat, humores attenuat, oleoſas eorum et ſalinas partes expandit, et magis actiuas reddit, viſcidum morboſum reſoluit et mobile iam vel ad euacuationem diſponit, vel per vrinam euacuat. Vſurpatur vel *Succus* ex planta et radice *expreſſus*, vel *Infuſum* eiusdem et *Decoctum aquoſum*, vel *cum lacte paratum.* Vſum habet in morbis chronicis, inprimis, vbi viſcidum pituitoſum copioſum pectus et vias vrinarias obſidet, in quibus *Succus* praecipue *expreſſus* vtilis cenſendus eſt. *Idem* etiam nec non *Decoctum cum lacte paratum* vermibus aduerſatur, inprimis ſi purgantia paulo ante praemittuntur, vel ſtatim ſubiunguntur. Saepe etiam cum fructu vſurpatur laudatum decoctum, ſi aegrotantes ſellae perforatae inſident, et vapor ad inteſtinum rectum admittitur. Notandum autem eſt, Allii vſum internum quibusuis hominibus concedendum non eſſe, ſed iis tantum, qui laxitate ſolidorum et pituitoſa aquoſaue humorum corruptione laborant; ſiccis enim, macilentis, bilioſis, ſanguineis, atrabilariis varia incommoda pariunt, nec raro nocent.

T 5 Cum

*) *Allium* (Satiuum) LINN. Spec. 425. MATTHIOL. l. c. p. 422.

Cum Allio multum conuenit Cepa §. 128, quae vero plures partes aquoſas neque fere vllas oleoſas exhibet. Caeterum eadem praeſtat, inque iisdem morbis Cepae praeparata vſum habent. Inprimis *Aqua deſtillata* non contemnendi vſus eſt. Monemus tandem, Allium et Cepam coctionem absque iactura virium non ferre, hinc ſemper ſuccum eorundem remediorum expreſſum vel Infuſa tantum eligenda eſſe.

§. 366.

Praeſtantiſſima medicamenta anthelmintica largiuntur CORPORA AMARA, quae ob triplicem qualitatem vermibus infeſta ſunt. Viſcidum nimirum reſoluunt, vel ad minimum ad reſolutionem diſponunt, bilem deinde acuunt motumque periſtalticum augent, denique ob ſolam amaritiem vermibus nocent. Quo maior itaque amarities eſt, eo efficacius eiusmodi medicamenta operantur, immo, ſi nauſeoſa ſubſtantia ſimul admixta eſt, effectum anthelminticum eo magis expectandum eſſe, experientia docet. Licet autem Amara fruſtra ſaepe propinentur, nihilominus tamen haec ipſa anthelmintica ſunt. Cum enim viſcidum, interdum copioſiſſimum vel etiam tenaciſſimum, in inteſtinis accumulatum haereat, et ad hoc reſoluendum Amara non ſemper ſufficiant, praeterea ad reſolutionem viſcidi multum ſaepe temporis requiratur, tandem etiam ad excitandum motum periſtalticum, interdum valde languidum, remedia valde ſtimulantia neceſſaria ſint, ſponte patet, Amara non ſemper ſtatim poſt ingeſtionem efficaciam ſuam contra vermes exſerere poſſe. Inter

Amara, quae anthelminticam vim habent, prae reliquis eminent *herba* et *Summitates Abſinthii* huiusque praeparata, inprimis *Puluis* §. 277. nec non *Fel Taurinum* §. 280. recens vſurpatum. In his enim non ſolum inſignis amarities eſt, ſed nauſeoſa inſuper ſubſtantia iisdem inhaeret; hinc omnino prae reliquis ad reſoluendum viſcidum et ad excitandum motum periſtalticum apta ſunt, immo ob inſignem amaritiem, cum nauſeoſa ſubſtantia coniunctam, vermibus inimica eſſe ſolent. At vero, minime omnibus conducunt; iuuant inprimis eos, qui laxitate inteſtinorum, viſcido pituitoſo copioſo, nec non bile aquoſa et acida laborant: ſiccis, macilentis, ſanguineis, cholericis, atrabilariis, qui, licet raro, interdum tamen vermibus vexantur, absque cautione exhibenda non ſunt.

§. 367.

PVRGANTIA quoque, inprimis DRASTICA et AMARA, inſigniter ſaepe vermibus adverſantur. Ea namque non ſolum motum periſtalticum viuide excitant, et viſcidum, in primis viis haerens, potentiſſime deſtruunt, ſed etiam ob particulas ſuas, valde ſubtiles et admodum actiuas teneram ſtructuram vermium adeo aggrediuntur, vt ipſi vermes, plerumque in inteſtinis enecati, valido impetu ex iisdem expellantur. Praecipue autem ea purgantia huic ſcopo ſatisfaciunt, quae praeter particulas acres ſtimulantes, nauſeoſam et amaram ſubſtantiam fouent, quaeque ideo ob duplicem rationem vermibus inimica ſunt, idque eo magis, quo maior amarities, cum inſigni vi ſtimulante coniuncta, deprehen-

prehenditur. Inter Purgantia, quae huc ſpectant, prae reliquis ſe commendant RADIX RHABARBARI §. 59. RADIX IALAPPAE §. 61. RESINA EIVSDEM §. 62. ALOE §. 63. Inprimis *Rhabarbari Puluis* infantibus et debilioribus hominibus prodeſt, *Aloe* autem et *Reſina ialappae* adultioribus et quidem laxis pituitoſis, aquoſis. Notandum autem eſt, Purgantia haec, inprimis nauſeoſa et amara, optime ſaepe anthelminticam vim exercere, ſi in ea doſi propinentur, qua aluum vix ducant. Sic enim diutius in inteſtinis commorantur, haecque ita afficiunt, vt ea ipſa, ob ſtimulum, diu applicatum, magis magisque ſollicitata, vermes perturbent, et ad deſtruendum eorum domicilium multum omnino conferant. Cum vero laudata remedia ataxiae ſpirituum faueant, irritabilibus ſane et ſenſibilibus haec ipſa caute vel nunquam propinanda eſſe, monemus.

§. 368.

Purgantibus interdum praeferri merentur GRAVEOLENTIA quaedam, inprimis RADIX VALERIANAE §. 353. GVMMI SAGAPENVM §. 298. GVMMI GALBANVM §. 354. ASA FOETIDA §. 355. His enim ſtimulus quidem acer ineſt, ita tamen, vt neque deiectiones aluinae proritentur, neque etiam vllo modo ataxia ſpirituum producatur, immo potius haec ipſa, a vermibus producta, optima ratione corrigi tollique videatur. Inprimis autem ad ſubſtantiam illam graueolentem in iis reſpiciendum eſt, quippe quae, vermibus moleſta, hos ipſos ex nido ſuo expellit, vel eosdem in eodem necat. Hec enim principium quoddam nauſeoſum admodum ſubtile et actiuum, partibus

bus oleoſis et vnguinoſis implicitum, fouent, quod diu in primis viis commoratur et continuo vapore ingrato vermes vexat, excruciat, torquet, expellit, necat. Praeterea quoque graueolentia remedia vim reſoluentem habent, et viſcidum pituitoſum deſtruunt, aquoſas partes conſumunt, humores digerentes et inprimis bilem efficaciorem reddunt, et calorem inteſtinalem augent, ideoque ob hasce etiam vires ad deſtruendos vermes multum conferunt. Inprimis *Puluis Valerianae*, vel ſolus vel cum Rhabarbari puluere ingeſtus, aduerſus lumbricos vtilis cenſetur, et adultioribus et tenellis debilibusque conducit. *Sagapenum Gummi* proficuum eſt, vbi viſcidum copioſum inteſtina obſidet, et irritabilitatem inteſtinorum et liquorum digerentium vim valde debilitat, caloremue naturalem multum imminuit. Eundem effectum praeſtat *Aſa foetida*, minus tamen calida cenſenda, praeſertim vtilis, ſi ſpaſmi ſimul vrgent. Leniorem vim habet *Gummi Galbanum*, quod proficuum aeſtimatur, ſi aegrotantes debiliores ſunt, neque in his irritabilitas adeo imminuta eſt. *Nicotianae* demum *decoctum*, in clyſmate vſurpatum, vel etiam *Fumus eiusdem* per anum immiſſus, inſignem vim contra vermes exercet, et ad expellendam taeniam, aliis ſaepe fruſtra tentatis, ſe commendat; immo *decoctum Tabaci*, ſi externe partes capillatae, pediculis obſeſſae, eo lauantur, valde efficax ſe praebere, experientia docet.

§. 369.

MERCVRIALIA demum non ſine ſucceſſu interdum contra vermes vſurpantur. Inprimis MERCVRIVS DVLCIS, AETHIOPS MINERALIS et AQVA MER-

MERCVRIALIS commendantur. *Mercurius dulcis* viſcidum quidem potenter reſoluit, et motum periſtalticum auget, ipſisque vermibus forte aduerſatur, cum vero ſolus, per aliquot dies vſurpatus, facile ſaliuationem excitet, abſque purgantibus adiunctis exhibendus non eſt. *Aethiops mineralis,* qui ex ſulphure, cum mercurio ſuper igne leni vel per ſolam triturationem coniuncto, conſtat, puluerem nigrum ſiſtit, qui viſcidum aliquantum reſoluit, et interdum vermes expellit, ſaepe vero effectu laudabili deſtituitur. *Aqua mercurialis,* id eſt, aqua ſimplex cum mercurio viuo decocta, tenellis anthelminticum lene et ſecurum praebet, et vtilis cenſetur, ſi viſcidum non adeo tenax eſt, inprimis ad expellendos aſcarides vſu comprobata eſt.

§. 370.

Inſignis eſt numerus remediorum, quae contra vermes commendantur, ex his aliqua adhuc commemoramus. Anthelminticam vim habere dicuntur 1) *Radix* ſeu *Fibrae Hellebori nigri,* quae ſaporem acrem, amarum et odorem ingratum et nauſeoſum habent, ſed ataxiam ſpirituum haud raro produxiſſe viſae ſunt, hinc caute exhibendae. 2) *Agaricus* ſeu *Fungus Laricis,* ſapore primo dulci; poſtmodum amaro, nauſeoſo, aliquantum adſtringente et odore ingrato praeditus, aluum vehementer mouet, nec vnquam niſi robuſtiſſimis et viſcido plenis, immo in puluere nunquam propinandus eſt. 3) *Radix Bryoniae,* quae odorem ingratum ſpirat et ſaporem amarum, admodum acrem et nauſeoſum excitat, ob draſticam et inflammantem vim proſcribenda eſt. 4) *Colocynthidis fructus,* qui ſapore acri, nauſeoſo

et

et admodum amaro ſe manifeſtat, ad inſida medicamenta pertinet et nunquam pro ſcopo euacuandi admittendus eſt, forte vero Infuſum eiusdem aquoſum, cum alcali fixo paratum, robuſtiſſimis, ſi taeniae ſuſpicio adeſt, in refracta doſi caute propinari poterit. 5) *Scammonium,* quod corpus gummoſo-reſinoſum ſiſtit, ſeque ſapore acri, vrente, nauſeoſo, et odore ingrato manifeſtat, draſticum purgans eſt, et niſi cum aceto vini trituretur et ſtudioſe coletur, vix vnquam locum habet. 6) *Diagrydium ſulphuratum,* quod ex puluere ſcammonii, laminae perforatae impoſito, accenſo ſubtus ſulphure paratur, vel interdum nihil praeſtat vel draſticum eſt, ideoque proſcribendum. 7) *Aurum Fulminans,* quod ex auro, in aqua regis ſoluto et ope alcali volatilis praecipitato, paratur, vel draſticam inflammantem vim habet vel interdum nihil praeſtat, ideoque prorſus ex officinis relegandum eſt. 8) *Polypodii Radix,* quae, inodora fere, ſaporem dulcem, nauſeoſum et aliquantum acrem habet, draſticam quidem vim non exercet et ſaepe pro ſcopo euacuandi praeſcribi poterit, ſed neruis minus amicam irritabilibus et ataxia Spirituum laborantibus vix exhibendam eſſe, putamus. 9) *Semen Cumini,* quod plerumque ad carminatiua refertur, ob ingratum nauſeoſum odorem, itidemque nauſeoſum, acrem, amaricantem ſaporem aduerſus vermes inteſtinorum non ſine fructu propinari poterit. 10) *Radix Zedoariae* ob ſubſtantiam graueolentem cum Radice Valerianae quodammodo conuenit, ſed magis acris, aromatica et calida eſt. 11) *Corallina,* quae planta marina eſt, ſaporem ſalſum habet, et ob odorem ingratum anthelminticis adnumeratur

ratur, ſed plerumque effectu deſtituitur. 12) *Vitriolum martis*, adſtringente vi praeditum, euacuantibus praemiſſis, in hominibus laxis, aquoſis, frigidis anthelminticam ſaepe vim exercet, ſed caute exhibendum eſt. 13) *Raſura Stanni*, a nonnullis contra taeniam laudata, interdum aliquid praeſtitit, ſed fruſtra ſaepe propinatur. 14) *Turpethum minerale* ex mercurio, ope acidi vitriolici ſoluto, paratum, ob draſticam et rodentem vim ex officinis proſcribendum eſt. 15) *Mercurius praecipitatus albus* ex mercurio viuo, in acido nitri ſoluto et ope acidi ſalis ſeu ſalis communis praecipitato, paratus cum mercurio dulci quodammodo conuenit, ſed ob rodentem interdum vim maiori cum cautione propinandus eſt. 16) *Vnguentum mercuriale* ex adipe ſuillo et mercurio viuo paratum, externe quidem ad expellendos pediculos inguinarios affrictum, commendatur, ſed ob ſaliuationis metum vel ob id, quod mercurius in ſubtiliſſima vaſcula ſe inſinuet, et ſtagnans morbis chronicis, valde moleſtis, occaſionem praebeat, metuendum eſt. An vero *Mercurius ſublimatus corroſiuus* ad methodum ſupra §. 252. deſcriptam vim anthelminticam exerceat, nondum experientia confirmatum eſt. Forſan vero prudenter propinatus ad expellendam taeniam, contra quam tam multa remedia fruſtra exhibentur, efficacem ſe praebet. Temperamentum tamen aegri, et aetas et conſtitutio totius corporis ſedulo ponderanda eſt. Alias enim plus damni adfert, quam ipſa taenia. Alia plura, tanquam anthelmintica commendata, vel ad ridicula pertinent, vel venena ſunt; hinc ſilentio ea praeterire licebit.

SYLLO-

SYLLOGE
MEDICAMENTORVM TAM SIMPLICIVM QVAM COMPOSITORVM.

PARS I.
Euacuantia.

SECTIO I.
Euacuantia primarum viarum.

CAPVT I.
Emetica.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Radicis Ipecacuanhae recenter contuſae et aqua ſimplici calida.

Pulueres.

Puluis ex Radice Ipecacuanhae recenter contuſa.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Radicis Ipecacuanhae, Tartaro tartariſato, vel Tartaro vitriolato, vel alio ſale medio et aqua ſimplici calida.

Potiones.

Potio ex Tartaro emetico et Aqua Florum Tiliae aut alia deſtillata. *Potio* ex Oxymelle ſcillitico et Aqua deſtillata, adiuncto interdum Spiritu Mindereri.

Potio ex Tartaro emetico, Oxymelle ſcillitico et Aqua deſtillata.

Pulueres.

Puluis ex Radice Ipecacuanhae, recenter contuſa, et tartaro vitriolato. *Puluis* ex Radice Ipecacuanhae recenter contuſa et Puluere Rhabarbari, adiuncto interdum tartaro vitriolato vel Arcano duplicato.

Pilulae.

Pilulae ex Radice Ipecacuanhae recenter contuſa et Extracto ſcillae aquoſo, adiuncto interdum Puluere Rhabarbari aut Gummi Ammoniaco.

CAPVT II.

Euacuantia per aluum.

DIVISIO I.

Laxantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Aquae minerales.

Aquae Thermarum Carolinarum. Aquae Egranae. Aquae Sedlizenſes et Seydſchiizenſes.

Infuſa.

Infuſum ex ſale mirabili et aqua ſimplici. *Infuſum* ex Sale Cathartico et aqua ſimplici. *Infuſum* ex ſale Sedlizenſi et aqua ſimplici.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex ſale mirabili vel ſale Sedlizenſi, Magneſia alba et Aqua ceraſorum nigrorum vel Aqua Corti-

Corticum aurantiorum, interdum adiuncta Aqua Menthae.

DIVISIO II.

Lubricantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſa.

Infuſum ex Manna et aqua ſimplici calida. *Infuſum* ex Pulpa Tamarindorum et aqua ſimplici calida.

Olea.

Oleum Amygdalarum dulcium pro vſu interno. Idem Oleum vel etiam *Oleum* Lini pro clyſmate.

Fructus et Roob.

Pruna recentia cocta. Pruna exſiccata cocta. Roob Prunorum.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex Manna calabrina et Sero lactis vel potu Caffée. *Infuſum* ex Sero lactis, Manna et Pulpa Tamarindorum pro clyſmate.

DIVISIO III.

Purgantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Succi.

Succus Ireos noſtratis.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Rhabarbari et aqua ſimplici calida.

Decocta.

Decoctum ex herba Nicotiana et aqua ſimplici pro clyſmate.

Pulueres.

Puluis ex Radice Rhabarbari. *Puluis* Radicis Ialappae.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Rhabarbari, ſale Sedlizenſi et aqua ſimplici calida, interdum adiunctis foliis Sennae, interdum ſuperaddita Manna vel Pulpa Tamarindorum. *Infuſum* ex Foliis ſennae, ſale mirabili Glauberi, vel ſale Sedlizenſi, vel ſale cathartico anglico, vel Cremore tartari, Pulpa Tamarindorum, vel Manna, vel Prunis exſiccatis, vel Paſſulis minoribus. *Infuſum* ex Puluere Radicis Ialappae, et Liquore Tartari tartariſati.

Hauſtus.

Hauſtus ex Puluere Rhabarbari, Aqua corticum aurantiorum, vel Aqua Meliſſae, vel Aqua Menthae et Elaeoſaccharo Meliſſae, vel Menthae, vel alius. *Hauſtus* ex Puluere Radicis Ialappae, Mercurio dulci, et Aqua Cinnamomi. *Hauſtus* ex Puluere Rhabarbari, Radicis Ialappae, Liquore Terrae, et Aqua Foeniculi. *Hauſtus* ex Reſina Ialappae, c. vitello ouorum trita et Aqua Menthae.

Eſſentiae.

Anima Rhabarbari.

Nodu

Noduli laxantes.

Nodulus ex Herba Centaurii minoris, Radice Gentianae rubrae, Corticibus Aurantiorum, Semine Foeniculi, Puluere Rhabarbari, Foliis Sennae, Sale Amaro Sedlicenſi, Aqua ſimplici calida, adiuncto demum Vino. *Nodulus* ex Herba Fumariae, Radice Helenii, Radice Pimpinellae albae, Cortice Caſcarillae, Foliis Sennae, Puluere Rhabarbari, Sale mirabili Glauberi et Aqua ſimplici calida, adiuncto demum vino.

Syrupi.

Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro vel ſolus vel cum Puluere Rhabarbari. *Syrupus* ex Eſſentia Ialappae et Melle deſpumato.

Electuaria.

Electuarium ex Puluere Rhabarbari, Tartaro tartariſato et Pulpa Tamarindorum. *Electuarium* ex Puluere Radicis Ialappae, et Roob Prunorum.

Pulueres.

Puluis ex Puluere Rhabarbari et Bolo armena, vel Lapidibus Cancrorum, vel Magneſia alba, adiuncto interdum Puluere Corticum aurantiorum. *Puluis* ex Radice Rhabarbari et Radice Ialappae, adiuncto interdum Tartaro vitriolato, aut alio ſale medio.

Pilulae.

Pilulae ex Puluere Rhabarbari et Gummi arabico ſeu Mucilagine Tragacanthae. *Pilulae* ex Puluere Rhabarbari, Puluere Radicis Ialappae et Extracto Helenii. *Pilulae* ex Reſina Ialappae, Extracto Fumariae

et Gummi Ammoniaco, adiuncto interdum Mercurio dulci. *Pilulae* ex Aloes extracto acetoſo, Puluere Rhabarbari et Extracto Helenii.

SECTIO II.

Euacuantia ſecundarum viarum.

CAPVT I.

Diaphoretica.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſa.

Infuſa ex Aqua calida et Plantis Radicibusque reſoluentibus, alia *Infuſa* ex Aceto calido et iisdem Plantis Radicibusque. vid. Cap. de Reſoluentibus.

CAPVT II.

Diuretica.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Succi.

Succus Dauci. *Succus* Apii Satiui. *Succus* Raphani. *Succus* Millepedum.

Infuſa.

Infuſum ex Thea Sinenſium et Aqua ſimplici calida. *Infuſum* ex Baccis Iuniperi et aqua ſimplici calida.

Decocta.

Decoctum ex Turionibus Aſparagi et aqua ſimplici. *Decoctum* ex Radice Apii ſatiui et aqua ſimplici. *Decoctum* ex Radice Petroſelini, vel Radice Dauci et aqua ſimplici.

Aquae

Aquae deſtillatae.

Aqua Chaerophylli. *Aqua* Petroſelini.

Pulueres.

Cremor Tartari. Cryſtalli Tartari puluerisatae. *Puluis* Radicis ſcillae.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex contuſis Millepedibus et vino acidulo. *Infuſum* ex Cineribus Plantarum et vino acidulo. *Infuſum* ex Baccis Iuniperi, Melle et vino acidulo.

Decocta.

Decoctum ex Turionibus Aſparagi, vel Radice Apii Satiui, vel Radice Petroſelini, vel Radice Dauci, vel herbae Chaerophylli et iuſculis carnium, vel ſero lactis, adiunctis interdum harum radicum ſuccis.

Succi.

Succus Dauci, vel Raphani cum Melle, vel Oxymelle ſimplici, vel Oxymelle ſcillitico.

Potiones.

Potio ex Aceto ſcillitico, Extracto Scillae aquoſo et Aqua Chaerophylli. *Potio* ex Oxymelle ſcillitico, Roob iuniperi et Aqua Petroſelini, adiuncto interdum Elaeoſaccharo iuniperi.

Pulueres.

Puluis ex Radice Scillae praeparata et Conchis praeparatis. *Puluis* ex Radice Scillae, Tartaro tartariſato et Cremore Tartari.

Pilulae.

Pilulae ex Radice Scillae, Sapone veneto, et Extracto Centaurii minoris vel alius plantae amarae. *Pilulae* ex Radice Scillae, Gummi ammoniaco, et Extracto Scillae aquoſo.

CAPUT III.

Maſticatoria.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Radix Pyrethri. Radix Pimpinellae albae. Radix Carlinae, aliaeque Radices plus minus acres.

CAPUT IV.

Sialagoga.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Pilulae.

Pilulae ex Mercurio viuo, Terebinthina exſtincto, et Gummi Arabico. *Pilulae* ex Mercurio dulci, Gummi ammoniaco, vel Reſina Ligni Guaiaci, et Extracto Fumariae, aut alius plantae amarae.

CAPUT V.

Sternutatoria.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Pulueres.

Puluis herbae nicotianae. Saccharum pulueriſatum.

CAPUT

CAPVT VI.

Emmenagoga.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Succi.

Succus Abrotani cum aqua ſimplici.

Infuſa.

Infuſum ex Saluia, vel Roremarino, vel Matricaria, vel Mentha criſpa, vel Meliſſa, vel Pulegio, vel Abrotano, vel Croco cum aqua ſimplici calida.

Aquae deſtillatae.

Aqua Saluiae. *Aqua* Roriſmarini. *Aqua* Menthae criſpae. *Aqua* Meliſſae citratae. *Aqua* Pulegii.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex ſaluia vel aliis iam memoratis Plantis emmenagogis, inprimis ex Croco et Vino.

Potiones.

Potio ex Aloes Extracto acetoſo et Aqua Meliſſae, Saluiae, aut alius plantae emmenagogae, adiuncto interdum Extracto Matricariae. *Potio* ex Aqua Pulegii, Extracto Matricariae, et Elaeoſaccharo Menthae, vel Meliſſae citratae, vel alius.

Pilulae.

Pilulae ex Gummi Sagapeno, Aloe, et Extracto Abſinthii. *Pilulae* ex Myrrha, Sapone veneto et Extracto Trifolii fibrini. *Pilulae* ex Aloe, Aſa foetida, et Extracto Matricariae. *Pilulae* ex Gummi Galbano, Puluere Caſtorei, et Sapone veneto.

PARS II.
Alterantia.

SECTIO I.
MEDICAMENTA, QVAE IN FIBRAM SOLIDAM AGVNT.

CAPVT I.
Irritantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Radix Armoraciae raſa. Eiusdem ſuccus. Spiritus Salis Ammoniaci cum calce viua paratus. Mercurius Praecipitatus ruber. Lapis infernalis.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Succus Armoraciae cum Saccharo aut Melle pro vſu interno. *Aqua phagedaenica* pro vſu externo. *Mercurius praecipitatus ruber* cum Alumine vſto pro vſu externo. *Vnguentum* ex Mercurio praecipitato rubro, ſeuo ceruino et oleo expreſſo. *Sinapiſmus* ex Seminibus Sinapi contuſis cum fermento panis et aceto, cum vel ſine ſale culinari, adiuncta interdum Raſura Armoraciae. *Veſicatorium* ex Puluere cantharidum, fermento panis et aceto. *Cauſticum* ex Aqua calcis viuae et Mercurio dulci. *Muſtarda* ex Farina ſeminum Sinapi et aceto.

CAPVT II.
Emollientia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Balnea tepida. *Lac* Animalium. *Cepa* aſſata vel con-

contuſa. *Poma* cocta. *Caricae* pingues. *Mel* in ſubſtantia vel aqua dilutum. *Vitellus* ouorum. *Olea* expreſſa vnguinoſa. *Secum* Ceruinum.

Decocta.

Decoctum ex Foliis Maluae, vel Radice Althaeae vel Seminibus cerealium excorticatis vel Caricis et aqua ſimplici.

Pulueres.

Puluis ex Floribus Chamomillae vel ex ſummitatibus Meliloti in ſacculis applicandus.

Cataplaſmata.

Cataplaſma ex Puluere Maluae vel ex Radice Althaeae, vel ex Seminibns excorticatis cerealium cum aqua.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Decocta.

Decoctum ex ſpinacia et iuſculis carnium vel Lacte. *Decoctum* ex Auena excorticata, Floribus Chamomillae et aqua ſimplici vel Lacte pro clyſmate. *Decoctum* ex Auena excorticata, aqua ſimplici et Oleo Lini, adiuncto interdum Melle aut Saccharo farinaceo pro clyſmate. *Decoctum* ex Radice Althaeae et Aqua ſimplici, adiuncto Oleo amygdalarum dulcium pro vſu interno. *Decoctum* ex Hordeo excorticato, aqua ſimplici et oleo amygdalarum dulcium, per triturationem cum vitello ouorum coniuncto.

Cataplaſmata.

Cataplaſma ex Puluere Florum Chamomillae, puluere meliloti et aqua vel lacte. *Cataplaſma* ex melle et

et farina cerealium. *Cataplaſma* ex caricis pinguibus, farina cerealium, ſaccharo farinaceo et aqua ſimplici.

Vnguenta et Balſama.

Vnguentum ex cera flaua, ſeuo ceruino et oleo expreſſo. *Vnguentum* ex Vitello ouorum et oleo expreſſo. *Balſamum* Arcaei.

Emplaſtra.

Emplaſtrum diachylon ſimplex. *Emplaſtrum* diachylon compoſitum. *Emplaſtrum* Filii Zachariae. *Emplaſtrum* de Meliloto. *Emplaſtrum* ex Cera flaua, ſeuo ceruino et Colophonio ſeu Terebinthina cocta.

CAPVT III.

Exſiccantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Aqua calcis viuae. Spiritus ardens rectificatiſſimus.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Collyrium ex aqua foeniculi, vel aqua roſarum et cineribus Zinci. *Vnguentum* ex Axungia porcina et cineribus Zinci. *Emplaſtrum* de ceruſſa. *Eſſentiae* amarae.

CAPVT IV.

Conglutinantia.

DIVISIO I.

Nutrientia.

PRAEPARATA SIMPLICIA.

Panis ſecalinus et triticeus. Ceraſa, Pyra, Poma, Pruna, recentia et exſiccata, cocta. Fraga recentia.

Iuſcula

Iuſcula carnium. Carnes coctae et aſſatae. Aues coctae et aſſatae. Piſces et Cancri cocti. Oua ſorbilia. Lac recens, non coctum. Serum lactis.

Decocta.

Decoctum ex ſeminibus cerealibus integris, inprimis ex Hordeo vel Auena et aqua ſimplici. *Decoctum* ex Radice ſcorzonerae et aqua ſimplici. *Decoctum* ex Pane vel Cruſta Panis leniter toſta et aqua ſimplici.

PRAEPARATA COMPOSITA.

Decocta.

Decoctum ex ſeminibus cerealium excorticatis inprimis ex Hordeo vel Auena excorticata et Aqua ſimplici, vel ſero Lactis, vel Lacte, adiuncto pauxillo Butyri ſaliti. *Decoctum* ex Oryza vel Fagopyro et Aqua ſimplici, vel iuſculis carnium ſalitis, vel Lacte, adiuncto interdum Butyro. *Decoctum* ex Radice cichorei et iuſculis carnium ſalitis, addito interdum pauxillo Nucis moſchatae. *Decoctum* ex Pane ſecalino vel triticeo et Aqua ſimplici, addito interdum ſucco citri, vel pauxillo Vini aciduli et cortice cinnamomi vel caſſia lignea vel canella alba. *Decoctum*, ex Cruſta Panis, cereuiſia bene lupulata, ſemine Carui et pauxillo ſaccharo, addito interdum Butyro. *Decoctum* ex cruſta Panis, cereuiſia lupulata, et ſaccharo, addito vino. *Decoctum* ex vitello ouorum, cereuiſia, ſaccharo, butyro et vino. *Decoctum* ex Hordeo non excorticato, ceraſis exſiccatis et aqua, addito pauxillo cinnamomi et vini. *Decoctum* ex iuſculis carnium vel auium, vel

can-

cancrorum, vel viperarum et Radice cichorei vel ſcorzonerae vel lactuca, additis interdum ſuccis taraxaci, ſaponariae aliarumque plantarum lacteſcentium. *Decoctum* ex ſero lactis, Radice cichorei et ſuccis plantarum lacteſcentium.

DIVISIO II.

Roborantia.

SVBDIVISIO I.

Adſtringentia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Crocus Martis. *Vitriolum* martis factitium, aqua ſimplici ſolutum. *Alumen* aqua ſolutum. *Acaciae* aegyptiacae vel Acaciae noſtratis ſuccus aqua ſolutus.

Aquae Minerales.

Aquae Spadanae. *Aquae* Swalbacenſes. *Aquae* Pyrmontanae. *Aquae* Lauchſtadienſes.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Tinctura Martis Ludouici. *Tinctura* Martis Aurea. *Tinctura* Gummi Laccae.

Infuſa.

Infuſum ex Limatura martis et vino, vel aceto. *Infuſum* ex Alumine, melle et herba agrimoniae, vel centaurii minoris vel equiſeti et aqua ſimplici pro Gargariſmate. *Infuſum* ex ſucco acaciae, melle et aqua ſimplici pro gargariſmate. *Aquae Martiales* cum lacte vel ſero lactis.

Mix-

Mixturae.

Mixtura ex Tinctura martis Ludouici et Extracto Fumariae Millefolii vel Caſcarillae vel alius. *Mixtura* ex Tinctura martis aurea et iisdem Extractis.

Pilulae.

Pilulae ex Limatura martis, Extracto martis pomato vel Extracto Millefolii, et G. Arabico, addito terreo quodam remedio.

SVBDIVISIO II.

Roborantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Cydonia recentia vel exſiccata cocta. *Succus* Cydoniorum. *Puluis* Corticis Peruuiani.

Infuſa et Decocta.

Infuſum ex Cortice Peruuiano et aqua ſimplici calida. *Infuſum* ex Millefolio et aqua calida. *Decoctum* ex Cortice Peruuiano vel Millefolio et aqua calida.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Tinctura martis cydoniata. *Tinctura* martis pomata. *Eſſentia* Millefolii. *Syrupus* Cydoniorum.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Corticis Peruuiani, Puluere Corticum Aurantiorum et aqua ſimplici frigida. *Infuſum* ex Cortice Peruuiano et Aqua ſimplici calida, adiuncto extracto Corticis Peruuiani vel Caſcarillae. *Infuſum* ex ſummitatibus Millefolii et Aqua ſimplici, addito

addito Extracto Millefolii vel Extracto Martis Pomato. *Infuſum* ex Cortice Peruuiano, Limatura martis et vino. *Infuſum* ex Cortice Peruuiano, radice Serpentariae virginianae et Aqua ſimplici calida vel Vino.

Mixturae.

Mixtura ex Tinctura Martis cydoniata vel Tinctura Martis pomata et Extracto Corticis Peruuiani, vel Millefolii vel alius. *Mixtura* ex Tinctura Martis pomata, Liquore anodyno minerali Hoffmanni et Extracto Martis pomato.

Potiones.

Potio ex Aqua Millefolii, Extracto Eiusdem et Liquore anodyno minerali Hoffmanni. *Potio* ex Aqua Cinnamomi, Tinctura Martis cydoniata et Extracto Martis pomato vel Extracto Corticis Peruuiani, vel Extracto Corticis Caſcarillae.

Electuaria.

Electuarium ex Puluere Corticis Peruuiani, Roob Sambuci et Syrupo Cydoniorum. *Electuarium* ex Puluere Corticis Peruuiani, Extracto Martis Pomato et Syrupo ceraſorum nigrorum.

SVBDIVISIO III.

Carminatiua.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſa.

Infuſum ex Caſſia Lignea, vel Cortice Cinnamomi, vel Seminibus Foeniculi, vel Radice Enulae, vel Radice

Radice Galangae, vel Cortice Aurantiorum, vel Cortice Caſcarillae, vel Cortice Canellae albae, vel Herba Maioranae, vel Radice Zedoariae, vel Radice Zingiberis, vel Radice Calami aromatici et Aqua ſimplici calida. *Infuſum* et Decoctum ex Caffea toſta et Aqua ſimplici calida.

Aquae deſtillatae.

Aqua Cinnamomi. *Aqua* Foeniculi. *Aqua* Corticum Aurantiorum. *Aqua* Caryophyllorum.

Pulueres.

Puluis ex Cortice Cinnamomi, vel ex Radice Galangae, vel Cortice Aurantiorum, vel Cortice Caſcarillae, vel Cortice Canellae albae, vel Nuce moſchata, vel Radice Zedoariae, vel Calamo aromatico, vel ex Pipere nigro.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex Cortice Cinnamomi vel aliis paulo ante memoratis Pulueribus vel ex plantis amaris et vino.

Eſſentiae.

Eſſentia Cinnamomi. *Eſſentia* Corticum Aurantiorum. *Eſſentia* Corticis Caſcarillae. *Eſſentiae* ex his mixtae. *Eſſentia* ex Liquore anodyno Hoffmanni et *Eſſentia* Gentianae rubrae.

Potiones.

Potio ex Aqua Corticum Aurantiorum, extracto et Elaeoſaccharo eorundem, adiuncto interdum Liquore anodyno. *Potio* ex Aqua Cinnamomi, Elaeoſaccharo

eiusdem et Extracto Corticis Caſcarillae vel alio. *Potio* ex Aqua Foeniculi, Extracto Corticum Aurantiorum et Oleo Foeniculi. *Potio* ex Aqua Meliſſae, Puluere Corticis Caſcarillae et Elaeoſaccharo Meliſſae.

Pulueres.

Puluis ex Oleo Cinnamomi ſeu alio et Saccharo albo; vocatur Elaeoſaccharum. *Puluis* ex Corticibus Aurantiorum pulueriſatis et Elaeoſaccharo eorundem. *Puluis* ex Tartaro vitriolato, puluere Canellae albae et Elaeoſaccharo Cinnamomi vel Meliſſae vel alius.

SECTIO II.

MEDICAMENTA, QVAE IN SANGVINEM AGVNT.

CAPVT I.

Incraſſantia.

DIVISIO I.

Inſpiſſantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſa.

Infuſum ex Gummi arabico, vel Glutine Animalium vel Ichthyocolla et aqua calida.

Decocta.

Decoctum ex Radice Graminis, vel Radice Scorzonerae, vel Radice Althaeae, vel Seminibus cerealium integris vel excorticatis.

MEDI-

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Decocta.

Decoctum ex Radice Graminis vel Radice Scorzonerae, Gummi Arabico et aqua ſimplici. *Decoctum* ex Radice Scorzonerae, Glutine Animalium vel Ichthyocolla et aqua ſimplici, adiuncto interdum Puluere Corticum Aurantiorum vel Nucis moſchatae.

DIVISIO II.

Condenſantia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſum ex Cortice Peruuiano et Aqua ſimplici calida. Alia vid. in Cap. de Roborantibus.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſum Corticis Peruuiani cum Gummi Arabico. Alia vid. in Cap. de Roborantibus.

CAPVT II.

Attenuantia.

DIVISIO I.

Diluentia.

Aqua egelida. Aqua tepida.

DIVISIO II.

Reſoluentia.

SVBDIVISIO I.

Reſoluentia, quae vel refrigerant, vel humectant, vel relaxant.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Aquae Selteranae. Acetum. Mel. Hydromel, Saccharum aqua ſolutum.

Succi.

Succus Lactucae. *Succus* Radicis Bardanae. *Succus* Radicis Taraxaci. *Succus* Radicis et herbae Saponariae.

Decocta.

Decoctum ex Radice Liquiritiae, vel Lactuca, vel Radice Bardanae, vel Radice Taraxaci.

Pulueres.

Puluis ex Tartaro vitriolato, vel Tartaro tartariſato, vel Arcano duplicato, vel Cremore Tartari, vel Nitro vel alio Sale medio, cum maiori minoriue copia aquae communis ingerendus.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Oxymel ſimplex. *Oxymel* ſcilliticum. *Aquae Selteranae* cum Lacte vel Sero Lactis.

Decocta.

Decoctum ex Radice Taraxaci vel alia, aqua ſimplici, vel Iuſculo carnium, adiuncto Succo Taraxaci, vel alio.

Potiones.

Potio ex Aqua Fragariae, vel Aqua ſimplici, Oxymelle ſimplici, vel Oxymelle ſcillitico, adiuncto interdum Nitro vel Tartaro tartariſato. *Potio* ex Aqua ceraſorum nigrorum, melle deſpumato et tartaro ſolubili. *Potio* ex Aqua Mellis, Spiritu Mindereri et Oxymelle ſimplici.

Potio ex Mercurio viuo, per longam triturationem cum Gummi Arabico coniuncto, et Aqua Fragariae, vel Aqua ſimplici. *Potio* ex minima portione Mercurii ſublimati corroſiui et larga copia Aquae Fragariae vel alius non oleoſae. *Potio* ex Aqua ceraſorum nigrorum, Extracto Scillae aquoſo et Tartaro tartariſato.

Pulueres.

Puluis ex Nitro et Tartaro tartariſato. *Puluis* ex Nitro et Cremore tartari. *Puluis* ex Tartaro tartariſato et Cremore tartari. *Puluis* ex Tartaro vitriolato, vel Tartaro tartariſato et Puluere ſcillae. *Puluis* ex Lapidibus Cancrorum et Puluere Scillae.

Pilulae.

Pilulae ex Mercurio dulci, Gummi Arabico et Extracto Fumariae. *Pilulae* ex Mercurio dulci, Camphora et Gummi Tragacanthae ſeu Gummi Arabico.

SVBDIVISIO II.

Reſoluentia quae vel exſiccant, vel calefaciunt.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Fel taurinum recens. *Fel* taurinum inſpiſſatum, aqua ſimplici ſolutum. *Succus* Fumariae. *Succus* Hederae terreſtris.

Infuſa.

Infuſum ex Oreoſelino, vel Hyſſopo, vel Scordio, vel Fumaria, vel Carduo benedicto, vel Centaurio minori, vel Trifolio fibrino, vel Lupulo, vel Abſinthio, vel Herba Chamaedryos, vel Radice Gentianae rubrae,

 vel

vel Radice Curcumae, vel Radice Serpentariae Virginianae et Aqua ſimplici.

Decocta.

Decoctum ex Plantis amaris, iam memoratis, vel ex Ligno Saſſafras, vel ex Radice Foeniculi.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Eſſentia Pimpinellae albae. *Tinctura* Antimonii tartariſata. *Tinctura* Antimonii acris.

Infuſa.

Infuſum ex Herba Oreoſelini, Herba Hyſſopi, Semine Foeniculi, vel Semine Aniſi vulgaris et Aqua ſimplici. *Infuſum* ex Herba Oreoſelini, Scordio et Aqua ſimplici, adiuncta interdum Radice Carlinae vel alia ſimili. *Infuſum* ex Scordio et Cortice Aurantiorum. *Infuſum* ex Radice Carlinae vel alia ſimili et Aceto, adiuncto Oxymelle ſcillitico vel Melle.

Decocta.

Decoctum ex Radice Foeniculi, Radice Scorzonerae vel cum Radice Bardanae, adiuncta interdum Radice Carlinae et Aqua ſimplici. *Decoctum* ex Radice Pimpinellae, Radice Graminis vel Radice Scorzonerae, vel Radice Bardanae, adiuncta interdum Radice Liquiritiae. *Decoctum* ex Raſura Ligni Guaiaci, Radice Scorzonerae vel Radice Graminis, Aqua ſimplici et Sale Ammoniaco. *Decoctum* ex Raſura Ligni Saſſafras et Aqua ſimplici, adiuncto interdum Infuſo eiusdem raſurae. *Decoctum* ex Raſura Ligni Saſſafras cum Infuſo eiusdem, adiuncto interdum Decocto Ligni Guaiaci,

vel

vel Radicis Pimpinellae, vel Radicis Scorzonerae, vel Bardanae, ſimilisque. *Decoctum* ex Centaurio minori, vel alia Planta amara, Radice Gentianae rubrae, et Cortice Canellae albae, adiecto Tartaro vitriolato, vel Tartaro tartariſato, vel alio Sale medio. *Decoctum* ex Abſinthio, vel alia Planta amara, Melle, adiuncta interdum Saluia, pro Gargariſmate.

Potiones.

Potio ex Felle taurino recenti, Extracto Abſinthii, et Aqua Foeniculi, adiuncta interdum Aqua Menthae vel Meliſſae. *Potio* ex Fumariae vel alius Plantae amarae Extracto, Tartaro tartariſato, vel alio Sale medio, et Aqua ſimplici deſtillata, vel Aqua Ceraſorum nigrorum, vel Aqua Corticum Aurantiorum. *Potio* ex Plantae amarae cuiusdam Extracto, Elaeoſaccharo Corticum Aurantiorum, aut alius Carminatiui, Aqua Caryophyllorum, vel Aqua Meliſſae, interdum adiuncto Sale Ammoniaco, alioque Sale medio. *Potio* ex Myrrhae Ectracto aquoſo, Extracto Centaurii minoris, et Sale Ammoniaco liquido, alias Spiritu Mindereri dicto, adiuncto interdum acido quodam dulcificato. *Potio* ex Oxymelle ſimplici, ſeu Scillitico, Gummi Ammoniaco, et Aqua Aniſi. *Potio* ex Oxymelle Scillitico, Extracto Myrrhae aquoſo, vel alio Extracto amaro, et Aqua Fragariae, adiuncta interdum Aqua Cinnamomi. *Potio* ex Spiritu Mindereri, Aqua Corticum Citri, et Oxymelle Scillitico. *Potio* ex Gummi Ammoniaco, per Olenm expreſſum et Tincturam Antimonii tartariſatam ad ſolutionem adaptato, et Aqua

Ceraſorum nigrorum, vel alia. *Potio* ex Spiritu Mindereri cum Fuligine digeſto, et colato. *Potio* ex Balſamo Peruuiano nigro, cum Vitello Ouorum triturato, et Aqua Chaerophylli, vel Aniſi, vel Meliſſae, vel alia. *Potio* ex Balſamo Peruuiano nigro, cum Saccharo bene trito, et Aqua quadam deſtillata. *Potio* ex Gummi Ammoniaco, et Terebinthina Veneta, cum Vitello oui trita, adiuncta Aqua quadam deſtillata. *Potio* ex Floribus Salis Ammoniaci Martialibus, Extracto Fumariae, vel Extracto Scillae, vel alio, et Aqua quadam deſtillata. *Potio* ex Sulphure Antimonii aurato, Oxymelle Scillitico, Aqua Aniſi, et Aqua Cinnamomi.

Eſſentiae.

Eſſentia Pimpinellae albae. *Tinctura* Antimonii tartariſata. *Tinctura* Antimonii acris. *Eſſentia* ex Radice Pimpinellae albae, et Tinctura Antimonii tartariſata. *Eſſentia* Pimpinellae albae cum Sapone Veneto. *Tinctura* Antimonii tartariſata cum Sapone Veneto, vel Oleo Amygdalarum dulcium, per ſolam agitationem coniuncta. *Tinctura* Antimonii cum Gummi Ammoniaco, aut alio, trita et colata. *Eſſentia* ex Balſamo Peruuiano nigro, cum Saccharo trito, et Spiritu Vini digeſto.

Pulueres.

Puluis ex Tartaro vitriolato, aut alio Sale medio, et paucis granis Radicis Ipecacuanhae, et Radicis Rhabarbari. *Puluis* ex Scilla praeparata, et Lapidibus Cancrorum, interdum adiunctis Salibus mediis. *Puluis* ex Floribus Salis ammoniaci martialibus, et Conchis praepa-

praeparatis, adiuncto interdum Tartaro vitriolato, aut alio Sale medio.

Pilulae.

Pilulae ex Sulphure Antimonii aurato, Gummi Ammoniaco et Extracto Fumariae, aut alio, adiuncto interdum Mercurio dulci. *Pilulae* ex Mercurio dulci, Camphora et Gummi Arabico. *Pilulae* ex Mercurio dulci, Camphora, Reſina Ligni Guaiaci, et Extracto Helenii.

CAPVT III.

Immutantia.

DIVISIO I.

Inuoluentia.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Serum Lactis. *Lac* Animalium. *Gelatinae* et *Iuſcula* Animalium. *Gluten* Animalium aqua ſolutum. *Gummi* arabicum, aqua ſolutum. *Oua* ſorbilia. *Oleum* Amygdalarum dulcium. *Butyrum* recens non ſalitum cum Aqua tepida. *Bolus* Armena pulueriſata cum Aqua.

Decocta.

Decoctum ex Radice Graminis, vel Radice Scorzonerae, vel Radice Althaeae, vel Foliis Maluae, et Aqua ſimplici. *Decoctum* ex Farinis Cerealium, et Aqua ſimplici, ad conſiſtentiam mellis inſpiſſati: decocta huius generis pulmenta vocant.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Vitellus Ouorum cum iuſculis tepidis mixtus. *Iuſcula* Animalium cum Gummi Arabico mixta. *Oua*

ſorbilia cum Butyro recenti. *Oleum* Amygdalarum dulcium cum Vitello ouorum et Iuſculis farinaceis. *Cera* flaua, ope Aquae Calcis viuae ſoluta, cum Decoctis farinaceis. *Cera* flaua, ſuper igne cum Oleo expreſſo commixta, adiuncto Vitello Ouorum et decoctis farinaceis.

DIVISIO II.

Corrigentia.

SVBDIVISIO I.

Antiputrida.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Cremor et Cryſtalli Tartari in Aqua ſolutae. *Acetum* Vini. *Fructus* horaei cocti. *Aqua* deſtillata Cochleariae. *Acidum* Vitrioli, et Acidum Nitri, Aqua dilutum. *Infuſum* et *Decoctum* Corticis Peruuiani aquoſum. *Infuſum* Corticis Caſcarillae aquoſum. *Infuſum* Aloës, vel Myrrhae, vel Plantarum amararum, aquoſum. *Succus* Citri. *Succus* Fructuum horaeorum. *Succus* Acetoſae, et Acetoſellae. *Succus* Cochleariae. *Succus* Naſturtii aquatici. *Sal* Acetoſellae.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Vinum Cochleariae. *Spiritus* Cochleariae abſtractitius. *Oxymel* ſimplex, Aqua dilutum.

Infuſa.

Infuſum ex Cremore Tartari, Pulpa Tamarindorum et Aqua ſimplici calida. *Infuſum* ex Herba Cochleariae, et Aqua ſimplici, adiuncto Succo Acetoſae, et Succo Cochleariae. *Infuſum* ex Baccis Iuniperi, vel Sal-

Saluia, vel Roremarino, vel Corticibus Aurantiorum, vel Radice Leuiſtici, vel Radice Angelicae, vel Radice Imperatoriae, vel Radice Carlinae, vel Myrrha, vel Aloë, vel Plantis amaris, et Aceto Vini calido. *Infuſum* ex Radicibus alexipharmacis, e. g. Carlinae, et Acido Vitrioli diluto, et Melle.

Decocta.

Decoctum ex Cortice Peruuiano, Radice Serpentariae Virginianae, et Aqua ſimplici. *Decoctum* ex Cortice Peruuiano, et Aqua ſimplici, adiuncto Rob Iuniperi, vel Extracto Corticis Peruuiani. *Decoctum* ex Herbis amaris, aromaticis, et Aceto Vini, pro Epithemate.

Potiones.

Potio ex Oxymelle ſimplici, Extracto Corticis Caſcarillae, et Aqua Corticum Aurantiorum, adiuncta interdum Aqua Cinnamomi. *Potio* ex Balſamo Peruuiano, vel Terebinthina, vel Balſamo de Copaiua, cum Vitello Oui, vel cum Oleo expreſſo et Tinctura Antimonii tartariſata tritis, et Aqua quadam deſtillata. *Potio* ex Spiritu Mindereri, Aqua Cinnamomi, Extracto Corticis Peruuiani, vel Corticis Caſcarillae, vel Roob Iuniperi.

Eſſentiae.

Eſſentia Myrrhae. *Eſſentia* Aloës. *Eſſentia* Balſami Peruuiani. *Eſſentia* Caryophyllorum. *Eſſentiae* ex his mixtae, plerumque pro vſu externo.

Electuaria.

Electuarium ex Puluere Corticis Peruuiani, Rob Iuniperi, et Melle, vel Syrupo Cydoniorum. *Electuarium*

Potiones.

Potio ex Aqua Cinnamomi, Elaeoſaccharo Cinnamomi, et Extracto Corticis Caſcarillae. *Potio* ex Aqua Corticum Aurantiorum, Extracto Corticis Peruuiani, Elaeoſaccharo Meliſſae. *Potio* ex Aqua Corticum Aurantiorum, Puluere, et Elaeoſaccharo eorundem.

Eſſentiae.

Eſſentia Cinnamomi. *Eſſentia* Corticum Aurantiornm. *Eſſentia* Corticis Caſcarillae. *Eſſentia* Balſami Peruuiani. *Eſſentiae* ex his mixtae.

Pulueres.

Puluis ex Lapidibus Cancrorum, et Elaeoſaccharo Cinnamomi, adiuncto interdum Puluere Cinnamomi. *Puluis* ex Corticibus Aurantiorum, et Cortice Caſcarillae. *Puluis* ex Cortice Peruuiano et Elaeoſaccharo Caryophyllorum. *Puluis* ex Camphora, Nitro, et Lapidibus Cancrorum.

CAPVT II.

Analeptica.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Vina. Acetum Vini non deſtillatum.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Potiones.

Potio ex Aqua Cinnamomi, Aqua Fragariae, Liquore anodyno minerali Hoffmanni et Oxymelle ſimplici.

plici. *Potio* ex Aceto Vini, Aqua Caryophyllorum et Elaeoſaccharo Caryophyllorum. *Potio* ex Aqua Corticum Citri et Oxymelle ſimplici, adiuncto interdum Elaeoſacchari Citri. *Potio* ex Aqua Corticum Citri et Syrupo Cydoniorum. *Potio* ex Aqua ceraſorum nigrorum, Spiritu nitri dulci et Syrupo acetoſitatis Citri.

Eſſentiae.

Liquor anodynus mineralis Hoffmanni. *Spiritus* nitri dulcis. *Eſſentia* ex Liquore anodyno minerali Hoffmanni et Eſſentia Cinnamomi. *Eſſentia* ex Spiritu nitri dulci et Eſſentia Balſami Peruuiani. *Eſſentia* ex Liquore anodyno et Eſſentia Succini vel Eſſentia Caſcarillae.

CAPVT III.

Antiſpaſmodica.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Caſtorei, vel ex Puluere Valerianae vel ex Aſa foetida, vel Gummi Galbano, vel ex Ruta, vel ex Sale Succini et Aqua ſimplici calida.

Aquae deſtillatae.

Aqua Caſtorei. *Aqua* Valerianae. *Aqua* Rutae. *Aqua* Matricariae.

Olea.

Olea.

Oleum Succini. *Oleum* Cornu Cerui foetidum. *Oleum* Tartari foetidum: haec externe pro odoratu. *Oleum* Animale Dippelii pro vſu interno.

Pulueres.

Succinum praeparatum, id eſt, Puluis Succini. *Puluis* Radicis Valerianae.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Caſtorei, vel ex Puluere Valerianae, Sale Succini et Aqua ſimplici calida. *Infuſum* ex Puluere Caſtorei et Aceto Caſtorei, vel Aqua ſimplici calida et Aceto Vini. *Infuſum* ex Ruta et Aceto Vini. *Infuſum* ex Puluere Valerianae et Vino acidulo. *Infuſum* ex Floribus Chamomillae et Cereuiſia. *Infuſum* ex Floribus Chamomillae, Aqua ſimplici calida vel Lacte, Oleo Chamomillae per infuſionem parato, adiecto interdum Puluere Caſtorei.

Potiones.

Potio ex Aqua Rutae, Sale Succini ſoluto et Puluere Caſtorei. *Potio* ex Aqua Caſtorei, Extracto Matricariae et Puluere Caſtorei. *Potio* ex Aqua Matricariae, Extracto eiusdem et Liquore Cornu Cerui ſuccinato. *Potio* ex Aqua Menthae, Extracto Matricariae, Liquore Cornu Cerui ſuccinato et Elaeoſaccharo Chamomillae vel Millefolii. *Potio* ex Aqua Meliſſae, Liquore anodyno et Liquore Cornu Cerui ſuccinato.

Eſſen-

Eſſentiae.

Eſſentia ex Caſtoreo cum Liquore Cornu Cerui ſuccinato per triturationem parata. *Eſſentia* ex Spiritu nitri dulci et Liquore Cornu Cerui ſuccinato. *Eſſentia* Succini parata ex Spiritu vini, qui ſuper Oleo ſuccini rectificato abſtractus cumque Succino digeſtus fuit. *Liquor* Cornu Cerui ſuccinatus.

Olea.

Oleum ex Floribus Chamomillae et Oleo Lini per infuſionem et digeſtionem paratum pro vſu externo vel pro clyſmate. *Oleum* compoſitum ex Oleo Succini rectificato et Oleo Chamomillae pro vſu externo.

Balſama.

Balſamum ex Cera alba, Oleo amygdalarum et Oleo Succini foetido vel rectificato pro vſu externo. *Balſamum* ex Aſa foetida vel Gummi Galbano, ope olei expreſſi et Tincturae Antimonii tartariſatae per triturationem ſolubili facto, Cera alba et Oleo Chamomillae pro vſu externo. *Balſamum* ex Cera flaua, Oleo Laurino et Puluere Caſtorei pro vſu externo.

Vnguenta.

Vnguentum ex Seuo Ceruino, Oleo amygdalarum et Oleo Succini, vel Aſa foetida, vel Gummi Galbano, ſecundum methodum deſcriptam praeparatis. *Vnguentum* ex Seuo Ceruino, Oleo Chamomillae et Puluere Caſtorei.

Emplaſtra.

Emplaſtrum ex Gummi Galbano ope Vitelli ouorum ſoluto, Cera flaua, Seuo Ceruino et Colophonio. *Emplaſtrum* ex Aſa foetida, per Oleum expreſſum et Tincturam Antimonii tartariſatam ſoluta, Cera flaua, Oleo Chamomillae et Terebinthina cocta.

Pulueres.

Puluis ex Caſtoreo, Nitro et Conchis praeparatis ſeu Magneſia alba. *Puluis* ex Succino praeparato et Caſtoreo.

Pilulae.

Pilulae ex Aſa foetida vel Gummi Galbano, Extracto Matricariae et Puluere Valerianae. *Pilulae* ex Caſtoreo, Puluere Chamomillae et Extracto Helenii.

CAPVT IV.

Sedantia.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Potiones.

Potio ex Aqua Menthae et Extracto Opii. *Potio* ſeu *Emulſio* ex Seminibus Papaueris albi et Aqua Frageriae, adiuncto Extracto Opii.

Eſſentiae.

Laudanum Liquidum Sydenhami vel ſolum, vel cum Eſſentia Caſcarillae vel cum Eſſentia Succini.

APPENDIX.

Anthelmintica.

MEDICAMENTA SIMPLICIA.

Infuſa.

Infuſum ex Seminibus Cinae vel Tanaceti vel Allio, vel Cepa, vel Radice Valerianae, vel Aſa foetida et Aqua ſimplici. *Infuſa* purgantia aquoſa. *Infuſa* ex Plantis amaris. *Infuſum* Herbae Nicotianae pro clyſmate.

Decocta.

Decoctum ex Tanaceto et Aqua ſimplici. *Decoctum* ex Mercurio et Aqua ſimplici.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

Infuſa.

Infuſum ex Puluere Meliloti, vel Allio, vel Aſa foetida, per Vitellum oui ſoluta, et Lacte pro clyſmate. *Infuſum* ex Herba Nicotiana, Semine Cinae, Aqua ſimplici et Oleo Tanaceti infuſo pro clyſmate. *Infuſum* ex Allio et Lacte pro fotu.

Potiones.

Potio ex Aqua Caſtorei, Aloe et Puluere Valerianae. *Potio* ex Aqua Abſinthii, Felle Taurino recenti et Oleo Menthae deſtillato. Vid. Cap. de Antiſpaſmodicis.

Electuaria.

Electuarium ex Pulpa Tamarindorum, Semine Cinae, vel Puluere Valerianae et Melle. *Electuarium* ex Semine Tanaceti, Rob Prunorum et Melle.

Pulueres.

Aethiops mineralis vel ſolus, vel cum Puluere Rhabarbari, vel Puluere Valerianae. Vid. Cap. de Purgantibus.

Pilulae.

Pilulae ex Fuligine, Semine Cinae et Extracto Abſinthii. *Pilulae* ex Sapone Veneto, Felle Taurino inſpiſſato et Puluere Valerianae. *Pilulae* ex Puluere Rhabarbari et Extracto Tanaceti. Vid. Cap. de Purgantibus et Reſoluentibus.

INDEX.

INDEX.

Numerus paginam indicat.

A.

Abrotanum eiusque praeparata, Medicamenta emmenagoga 73 ſeq.
Abſinthii Infuſum aquoſum cum extracto, Medicamentum antiputridum 254
— praeparata, Medicamenta anthelmintica 315
Abſinthium eiusque praeparata, Medicamenta Reſoluentia 207 ſeq.
— Medicamentum antacidum 260
Acaciae aegyptiacae ſuccus Medicamentum adſtringens 131
— noſtratis ſuccus, Medicamentum adſtringens ib.
Acetoſa et acetoſellae ſuccus, Medicamentum antiputridum 251
Acetum calidum Medicamentum diaphoreticum 41
— Medicamentum analepticum 279
— — Reſoluens 189
— Scillae, Medicamentum diureticum 53
— — — Reſoluens 196
— vini, Medicamentum antiputridum 247
— — — diureticum 54
Acida mineralia concentrata 85
— — dulcificata, Medicamenta Analeptica 285
— — Medicamenta antiputrida 251
Acidus adſtringens ſenſus quid indicet 10
— auſterus ſenſus quid indicet ib.
— lenis ſapor quid indicet ib.
Acris ſenſus quid indicet 9
Adſtrictorius ſenſus quid indicet ib.

Adſtringentia Medicamenta 123
Aethiops mineralis Medicam. Anthelminticum 318
Agaricus, Fungus Laricis 40 et 318
Agaricus Quernus 135
Agrimoniae herba 237
Alterantia Medicamenta 77
Althaeae Radicis Decoctum Med. Emolliens 91
— — — Inſpiſſans 171
— — — Inuoluens 241
Albumen oui vid. Ouum.
Alcali volatile et fixum vid. Salia.
Alimenta quid 13
— medicamentoſa quid 14
Allium ſatiuum eiusque praeparata Medicamenta anthelmintica 313
Aloe eiusque praeparata, Medicamenta purgantia 36
— Medicamentum anthelminticum 316
— — Emmenagogum 75
— in parua doſi Medicamentum Reſoluens 237
Aloes Extractum acetoſum Medic. purgans 37
— Eſſentia ſpirituoſa Medicam. antiputridum 255
— Infuſum aquoſum Med. antiputrid. extern. 254
— — — cum Extracto Med. antiputrid. ib.
Alumen, Medicamentum adſtringens 130
Amara, Medicamenta anthelmintica 314
— — antiputrida 252
Amararum herbarum epithemata cum aceto parata, Medicamenta antiputrida 253
Amarus adſtringens ſapor quid indicet 10
— ſapor quid indicet ib.
Ambra griſea 278
Ameos ſemina 166
Ammoniacum Gummi, vid. Gummi.
Amomi ſemina 166
Analeptica Medicamenta 279

Ange-

Angelicae Radicis infuſum acetoſum calidum Medic. diaphoret. 43
— — — — Med. antiputridum 243
— — — cum acido vitrioli diluto paratum Medicamentum antiputridum ib.
— — — aquoſum calidum, Medicamentum diaphoreticum 42
— — — et Decoctum aquoſum Mediamentum Reſoluens 218 ſeqq.
Anguillae caro, victus 115 et 120
Anima Rhabarbari Medicam. purgans 33
Animae Gummi, vid. Gummi
Aniſi ſtellati ſemen 277
— vulgaris ſemen ib.
Anodyna Medicamenta 303
Antacida Medicamenta 255
Anthelmintica Medicamenta 309
Anthos Flores 277
Antimonii Butyrum 14
— Flores 21
— Regulus medicinalis, Med. Reſoluens 197
— — ſimplex et martialis 21
— Sulphur auratum, Med. reſoluens 198
— Tinctura acris, Med. reſoluens 223
— — tartariſata, Med. reſoluens 222
— Vitrum 21
Antiputrida Medicamenta 245
Antiſpaſmodica Medicamenta 288
Apii Radicis Decoctum, Victus 113
— — Succus et Decoctum, Med. diureticum 45 ſeq.
Aqua calida, Med. diaphoreticum 41
— frigida, Med. diluens 176
— Phagedaenica, Med. irritans et cauſticum 83
— Sedlizenſis, Med. laxans 27
— Thermarum Carolinarum, Med. laxans 25

Aquae Egranae, Med. laxans 26
— Lauchſtadienſes, Med. adſtringens 129
— Martiales, Med. adſtringentia 128
— — — condenſantia 175
— Pyrmontanae, Med. adſtringentia 129
— Selteranae, Med. Reſoluentia 187
— Spadanae, Med. adſtingentia 129
— Swalbacenſes, Med. adſtringentia ib.
Arcanum duplicatum. Med. reſoluens 185
— tartari, vid. Tartarus.
Argentum viuum, vid. Mercurius.
Ari Radix exſiccata 166
— — recens 85
Ariſtolochiae rotundae radix 76
Armoraciae radix raſa, Med. irritans 79
— ſuccus, Medicamentum irritans 80
Aromata, Medicamenta antiputrida 252
— — neruina excitantia 266
Aromaticarum herbarum epithemata cum aceto parata, Med. antiputrida 253
Artemiſia 75
Aſa foetida, Medic. antiſpaſmodicum 298
— — — anthelminticum 316
Aſari radix et folia 21
Aſparagi turiones cum aceto parati vel eorum Decoctum aquoſum, Med. diureticum 45
Attenuantia Medicamenta 175
Aurantiorum cortices Medicamenta neruina excitantia 266 ſeq.
— Corticum Praeparata, Med. Carminatiua 154 ſq.
— — Aqua deſtillata, Oleum aethereum et Eſſentia Med. Neruina Excitantia 269 ſeq.
— Infuſum acetoſum, Medicamentum antiputridum 252
— Fructus immaturi 76

Aurum

Aurum fulminans 320
Auena 107
Axungia, Med. Emolliens 99

B.

Balauſtiorum flores 134
Balnea tepida, Medicamenta Emollientia 87
Balſamicus odor quid indicet 12
Balſamica, Medicamenta antiputrida 252
Balſamum Arcaei Medicamentum emolliens et ſuppurans 98
— de Copaiua Med. Reſoluens 226 ſeq.
— — — Antiputridum 254
— — Mecha 278
— Peruuianum nigrum Medicamentum reſoluens 224 et 226
— — — — Antiputridum 254
— — — — Neruinum Excitans 273
Balſami Peruuiani Eſſentia Med. antiputridum 255
Balſamum Tolutanum 278
Bardanae Radix eiusque Decoctum aquoſum Medicam. reſoluens 193
— Succus, Medicam. antacidum 260
Bdellium Gummi, vid. Gummi.
Belladonna 307
Benzoes reſina eiusque Tinctura 278
Berberis dumetorum Baccae 133
Betonica 237
Biſtortae Radix 134
Bolus Armena, Med. inuoluens 243
Bryoniae Radix 40 et 318
Butyrum recens, Med. inuoluens 242

C.

Caffea eiusque Infuſum et Decoctum aquoſum, Medic. carminatiuum 149 ſeq.
Calami aromarici Radix, Medicamentum neruinum excitans 266 ſeqq.
— — Infuſum vinoſum et aquoſum, Medic. carminatiuum 163 ſeqq.
Calcis viuae Aqua, Med. exſiccans 101
Camphora, Med. neruinum excitans 275
Cancri fluuiatilis caro, victus 116 et 119
Canellae albae Cortex eiusque praeparata, Medicamenta carminatiua 157 ſeq.
Cantharides eorumque puluis, Med. irritans 81 ſeq.
Capillorum Veneris Herba 237
Capparadis Radix 134
Carannae Gummi, vid. Gummi.
Cardamomum minus 166
Carduus benedictus eiusque praeparata, Medicamenta reſoluentia 205 et 207 ſeqq.
— — Med. antacidum 260
Cardui benedicti Infuſum aquoſum, Med. antiputridum 254
Caricae pingues, Medicam. acrimoniam ſalſam corrigens 262
— — — Emolliens et Suppurans 93
— — — lubricans 31
Carlinae Radix eiusque Infuſum aquoſum calidum, Med. diaphoreticum 42
— — Med. emmenagogum 76
— — — maſticatorium 57
— — Radix eiusque Infuſum et Decoctum aquoſum, Med. reſoluens 219 ſeq.
— Infuſum acetoſum, Med. antiputridum 253
— — — calidum, Med. diaphoreticum 43
Carminatiua Medicamenta 144

Car-

Carpionis caro, victus 116 et 120
Carui Semina eorumque praeparata, Med. carminatiua 151
Caryophylli aromatici eorumque praeparata, Med. carminatiua 164
Caſcarillae Cortex eiusque Praeparata, Med. carminatiua 156
— — Med. neruina excitantia 266 ſeqq.
— Extractum cum Sale ammoniaco liquido, Med. antiputridum 253
Caſſia Caryophyllata 166
— lignea, Med. carminatiuum 145
— — — neruinum excitans 266 ſeqq.
Caſſiae Pulpa, Med. lubricans 31
Caſtoreum eiusque praeparata, Med. antiſpaſmodica 300 ſeq.
Cataputiae Semina 21
Catechu terra 134
Centaurium minus eiusque praeparata, Med. reſoluens 207 ſeqq.
— — — — Med. antacida 260
— minoris Infuſum aquoſum cum extracto, Med. antiputridum 254
Cepae Radix, Med. emolliens et ſuppurans 92
Cera flaua, Med. emolliens 94
— — — inuoluens 242
Ceraſa, victus 111 ſeq.
Ceratonia 99
Cerealium Farinae, Med. emollientia 91
— Seminum integrorum et excorticatorum nec non eorundem farinae praeparata, Med. inſpiſſantia 171 ſeq.
— praeparata, Med. inuoluentia 241
Cerui caro, victus 114 et 119
Ceruſſae emplaſtrum, Med. exſiccans 101

Chamae-

Chamaedrys eiusque praeparata, Med. reſoluentia 203 et 207
Chamaedrys eiusque praeparata, Med. antacida 260
Chamaedryos Infuſum aquoſum calidum, Med. diaphoreticum 42
Chamomillae flores eorumque praeparata, med. emollientia 88 ſeq.
— Infuſum aquoſum cum extracto, med. antiputridum 254
Chaerefolium eiusque praeparata, med. diuretica 48 ſeq.
Chinae Cortex, vid. Peruuianus Cortex.
Cichorei hortenſis Radix, alimentum medicamentoſum 110
Cicutae herba et Extractum 307
Cinae ſemen eiusque Eſſentia, med. anthelmintica 310
Cineres Plantarum, med. diureticum 55
Cinnabaris factitia 302
Cinnamomi Cortex eiusque praeparata, med. carminatiua 146 ſeq.
— — med. maſticatorium 57
— — — neruinum excitans 266 ſeqq.
— Aqua deſtillata, med. nerv. excitans 269
— Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 271 ſeq.
Citri Cortex, med. carminatiuum 166
— — — neruinum excitans 266 ſeq.
— Corticis Aqua deſtillata, med. neruinum excitans 269
— — Infuſum aquoſum calidum, med. diaphoreticum 42
— — Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 271 ſeq.
— Malum eiusque Succus, med. antiputridum 245 ſeq.

Coc-

Coccionella, med. roborans 143
Cochlearia eiusque praeparata, med. antiputrida 249
Colophonium, med. reſoluens 255
— — antiputridum ibid.
Colocynthidis Fructus 40 et 318
Columbae caro, victus 115 et 119
Conchae praeparatae, med. antacidum 257
Condenſantia Medicamenta 173
Conglutinantia Medicamenta 104
Corallina 319
Coriandri ſemina 166
Corni fructus 133
Cornu alcis 302
Corrigentia Medicamenta 244
Cranium humanum 302
Cremor Tartari, vid. Tartarus
Crepitus lupi 135
Crocus eiusque praeparata, med. emmenagoga 74 ſeq.
— med. Sedans 307
Cubebae 166
Culilawan Cortex ibid.
Cumini Semen 166 et 319
Cupreſſi Nuces 134
Curcumae Radix eiusque praeparata, med. reſoluentia 215
Cydonia Mala, alimentum medicamentoſum roborans 137
Cyperi longi et rotundi Radix 166
Cynogloſſum 307

D.

Dactyli 99
Dauci vulgaris Radix eiusque praeparata, med. diuretica 47
— Decoctum, alimentum medicamentoſum 113
— Succus, med. acrimoniam ſalſam corrigens 262

Demul-

Demulcens Senſus quid indicet 9
Diagrydium 319
Diaphoretica Medicamenta 41
Diluentia Medicamenta 176
Diuretica Medicamenta 44
Dulcis Sapor quid indicet 10

E.

Emetica Medicamenta 18
Emmenagoga Medicamenta 65
Emolliens Senſus quid indicet 9
Emollientia Medicamenta 86
Emplaſtrum de Meliloto, med. emolliens 97
— Diachylon compoſitum, med. emolliens et ſuppurans 96
— — ſimplex, med. emolliens ibid.
— Filii Zachariae, med. emolliens 97
Enulae Radix, vid. Helenii Radix
Equiſetum 135
Eryngii montani Radix 238
Eſulae Radix 40
— Succus 85
Eſſentiae amarae, med. exſiccantia 103
— Spirituoſae, med. neruina excitantia 273
Euphorbium 85
Euacuantia Medicamenta 17
— — primarum viarum ibid.
— — per aluum 21
— — ſecundarum viarum 40
Exſiccantia Medicamenta 99

F.

Fabarum farinae, med. emollientia 99
Fagopyrum 108
Farinae Gerealium 91

Fel

Fel Taurinum, med. anthelminticum 315
— — — antacidum 260
— — — reſoluens 210
Ferrum, vid. Mars.
Foeniculi Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 271 ſeq.
— — vulgaris ſemen eiusque praeparata, med. carminatiua 147 ſeqq.
— — Radicis Decoctum, med. reſoluens 200
Foenu Graeci Farina, med. emolliens 99
Foetidus odor, quid indicet 11
Fraga, alimentum medicamentoſum 111 ſeq.
Fructus horaei, victus 110
— — — antiputridus 247
Fumaria eiusque praeparata, med. reſoluentia 204 et 207 ſeq.
— med. antacidum 260
Fumariae Infuſum aquoſum, med. antiputridum 254
Fuligo, med. antacidum 260
— — reſoluens 235

G.

Galangae minoris Radix eiusque praeparata, med. carminatiua 153
Galbanum Gummi, vid. Gummi.
Gallinae caro, alimentum 114 et 119
Gelatinae Animalium, med. inuoluentia 240
Gemmae 279
Gentianae rubrae Radix eiusque Decoctum, med. reſoluens 206 ſeqq.
— — — med. antacidum 260
Gluten animalium, med. inſpiſſans 173
— — — inuoluens 240
Glycirrhyzae Radix, vid. Liquiritiae Radix.

Grami-

Graminis Radix eiusque Decoctum aquoſum, med. inſpiſſans 171
— — med. inuoluens 241
Gratus odor quid indicet 11
Gratiolae Herba 21. 40 et 76
Graueolentia, med. anthelmintica 316
Grauis odor quid indicet 12
Gummi Ammoniacum, med. reſoluens 229
— Animae 134
— Arabicum, med. inſpiſſans 172
— — — inuoluens 241
— Bdellium 238
— Carannae 134
— Galbanum, med. anthelminticum 316
— — — antiſpaſmodicum 297
— Gutta 21
— Lacca eiusque Tinctura, med. adſtringentia 132
— Sagapenum, med. anthelminticum 316
— — — reſoluens 231
— Sandaracha 134
— Tacamahaca ibid.
Guaiaci Ligni Decoctum aquoſum calidum, med. diaphoreticum 42
Guaiacum Lignum eiusque praeparata, med. reſoluentia 212

H.

Hedera terreſtris eiusque praeparata, med. reſoluentia 202
Hederae terreſtris Succus, med. antacidum 260
Helenii Radix eiusque praeparata, med. carminatiua 152
Hellebori nigri fibrae 318
Hordeum, alimentum 107
Hydropiper 85

Hyo-

Hyoſcyami albi Folia et Semina 307
Hypnotica medicamenta 303
Hyſſopi Infuſum aquoſum calidum, med. diaphoreticum 42
— — — med. reſoluens 201

I.

Ialappae Puluis et Reſina, med. anthelmintica 316
— Radix eiusque praeparata, med. purgantia 34 ſeq.
Ichthyocolla, med. inſpiſſans 173
Immutantia medicamenta 239
Imperatoriae Radix eiusque praeparata, med. reſoluentia 218 ſeqq.
— Radicis Infuſum acetoſum, med. antiputridum 253
— — — — calidum, med. diaphoreticum 42
— — — cum acido Vitrioli diluto, med. antiputridum 253
Incraſſantia Medicamenta 168
Inſpiſſantia Medicamenta 169
Inuoluentia Medicamenta 240
Ipecacuanhae Radix eiusque praeparata, med. emetica 19 ſeq.
— Radicis Puluis in parua doſi, med. reſoluens 237
Ireos florentinae Radix 238
— noſtratis Succus, med. purgans 38
Irritantia Medicamenta 78
Iuiubae 99
Iuniperi Baccarum Infuſum acetoſum, med. antiputridum 252
— Baccae earumque praeparata, med. diuretica 49 ſeq.
— Roob cum Sale Ammoniaco liquido, med. antiputridum 253

Iuniperi Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 272

L.

Lac animalium, med. emolliens 87
— — , alimentum 117 et 121
— — med. inuoluens 240
Lactis Serum, med. inuoluens ibid.
— — , alimentum 118 ſeq.
Lactuca eiusque praeparata, med. reſoluentia 193
Lactucae Succus antacidus 260
Lapides Cancrorum, med. antacida 257
— pretioſi 279
Lapis Bezoar orientalis et occidentalis ibid.
— cauſticus Chirurgorum 85
— infernalis, remedium cauſticum 84
Laudanum Liquidum Sydenhami, med. ſedans 304
Lauendulae Flores 277
Laxantia Medicamenta 22
Leniens ſenſus quid indicet 9
Leporis caro, victus 114 et 119
Leuiſtici Radix eiusque praeparata, med. reſoluentia 217 et 219 ſeq.
— Radicis Infuſum acetoſum vel cum acido vitriolico diluto paratum, med. antiputridum 253
Liliorum alborum Flores et Radices 98
Liquiritiae Radix eiusque praeparata, med. reſoluentia 191 ſeq.
— — med. acrimoniam ſalſam corrigens 263
Liquor anodynus mineralis Hoffmanni med. analepticum 285
— Cornu Cerui Succinatus, med. antiſpaſmodicum 292
Lubricantia Medicamenta 27
Lucii piſcis caro, victus 116 et 120
Lupini Farina 99

Lupulus eiusque praeparata, med. reſoluentia 207 ſqq.
— med. antacidum 260

M.

Magneſia alba, med. antacidum 256
Maioranae herba eiusque praeparata, med. carminatiua 159
Malua eiusque praeparata, med. emollientia 90
Maluae Decoctum, med. inuoluens 241
Malicorium 134
Mandragorae Radix 307
Manna calabrina, med. lubricans 30
Margaritae 229
Maſticatoria Medicamenta 56
Mars, med. adſtringens 123
Martiales Aquae, med. adſtringentia 128
Martis Crocus, med. adſtringens 127
— Infuſum vinoſum et acetoſum, med. adſtringens 125
— Limatura, med. adſtringens 124
— — — condenſans 175
— Tinctura aurea, med. adſtringens 126
— — cydoniata, med. roborans 136
— — — — condenſans 175
— — Ludouici, med. adſtringens 126
— — pomata, med. condenſans 175
— — — — roborans 137
Materia medica quid 13
Maſtix ſeu Grana Maſtichis 278
Mechoacannae Radix 40
Medicamenta quid 4 et 13
Matricariae Infuſum aquoſum et vinoſum, med. emmenagogum 69 ſeq.
— — — cum Extracto eiusdem, med. antiputridum 254

Medicamenta alimentoſa quid 14
— venenata quid ibid.
— , quae in fibram muſcularem agunt 77
— — — ſanguinem agunt 167
— — acrimoniam ſalſam corrigunt 261
Medicamentorum partes conſtitutiuae 6
— qualitates quomodo cognoſcendae 7
— — generales ibid.
Mel, med. lubricans 31
— — acrimoniam ſalſam corrigens 362
— — emolliens et ſuppurans 94
— — reſoluens 191
Meliloti ſummitates eiusque praeparata, med. emollientia 90
Meliſſa citrata eiusque infuſum vinoſum et Oleum aethereum, med. emmenagoga 72
Meliſſae Aqua deſtillata, med. neruinum excitans 269
— Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 272
Mentha criſpa eiusque praeparata, med. emmenagoga 70 ſeq.
Menthae Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 272
Mercurialis herba 98
Mercurialia, med. anthelmintica 317
Mercurius cum aqua coctus, med. anthelminticum 318
— dulcis, med. anthelminticum ibid.
— — — reſoluens 188
— — — Sialagogum 60
— praecipitatus albus 320
— — ruber, med. irritans et cauſticum 84
— Sublimatus corroſiuus, med. anthelminticum 320
— — — — reſoluens 188
— viuus, med. Sialagogum 55
Mercurii vnguentum 320
Meſpili Fructus 133

Mille-

Millefolii Infuſum aquoſum cum extracto, med. antiputridum 254
Millefolium eiusque praeparata, med. roborantia 142
Millepedum Succus, med. diureticum 55
Moſchata Nux, vid. Nux.
Moſchus 278
Muſtarda 81
Myrrha, med. emmenagogum 75
— eiusque praeparata, med. reſoluentia 232 ſeq.
Myrrhae Eſſentia, med. antiputridum 255
— Infuſum aquoſum, med. antiputridum externum 253
— — — cum extracto, med. antiputridum 254
Myrti Tarentinae Folia 134
Myrtilli Baccae 135

N.

Narcotica Medicamenta 303
Naſturtium aquaticum eiusque praeparata, med. antiputridum 251
Nauſeoſus odor quid indicet 12
Neruina Medicamenta 264
— — excitantia 265
Nicotianae Herba 21
— Decoctum et Fumus, med. purgans 38 ſeq.
— — — — antheminticum 317
Nitri acidum, med. antiputridum 251
— Spiritus dulcis, med. analepticum 285
Nitrum cubicum 238
— flammans 180
— depuratum, med. reſoluens 179
Nucis Moſchatae Infuſum aquoſum, med. antiputridum 254
— — Oleum, med. neruinum excitans 272
Nutrientia 104

Nux Moſchata eiusque praeparata, med. carminatiua 160
— vomica 21

O.

Olea deſtillata aetherea, med. neruina excitantia 277
— expreſſa vnguinoſa med. emollientia 95
Oleum Amygdalarum dulcium, med. emolliens ibid.
— — — — inuoluens 241
— — — — lubricans 28
— Animale Dippelii, med. antiſpaſmodicum 302
— — — — reſoluens 239
— Cornu Cerui foetidum 202
— Lini, med. emolliens 95
— Tartari foetidum 302
Olsnitii Radix 238
Opii Extractum, med. ſedans 304
Opium, med. ſedans 303
Oreoſelini Infuſum aquoſum calidum, med. diaphoreticum 42
Oreoſelinum eiusque praeparata, med. reſoluentia 200 ſeq.
Origanum creticum 76
Orobi Farina 99
Oua ſorbilia, med. inuoluentia 242
Ouis caro, victus 114 et 119
Ouorum Albumen, victus 117 et 120
— vitellus, med. inuoluens 242
— — — emolliens 94
— — , victus 117 et 120
Oxyacanthae Baccae 133
Oxymel ſcilliticum, med. emeticum 18
— — — diureticum 53
— — — reſoluens 190
— ſimplex, med. antiputridum 247
— — — reſoluens 190

P. Pa-

P.

Paradiſi Grana 166
Paregorica Medicamenta 303
Pareirae brauae Radix 238
Parietariae herba 99
Paſſulae maiores et minores 31 et 99
Perdicis caro, victus 115 et 119
Perſicaria 85
Peruuianus Cortex eiusque praeparata, med. roborantia 139 ſeq.
— — med. condenſans 174
Peruuiani Corticis Extractum cum Sale ammoniaco liquido, med. antiputridum 253
— — cum Radice Serpentariae virginianae coniuncti Infuſum et Decoctum, med. antiputridum ibid.
Petroſelini Radix eiusque praeparata, med. diuretica 47
— Radicis decoctum, alimentum medicamentoſum 113
Pharmacia quid 4 et 13
Phaſiani caro, victus 115 et 119
Pimpinellae albae Radix, med. maſticatorium 57
— — — eiusque praeparata, med. reſoluentia 221 ſeqq.
Pinguedines, med. emollientia 99
Pini ſtrobili 134
Piper nigrum, med. carminatiuum 165
Polium montanum 76
Poma, victus 111 ſeq.
— eorumque praeparata, med. emollientia et ſuppurantia 92 ſeq.
Polypodii Radix 319
Porci caro, victus 114 et 119
Pruna, victus 111 ſeq.
— med. lubricantia 29

Ptarmica medicamenta 62
Pulegium eiusque praeparata, med. emmenagoga 73
Purgantia Medicamenta 32
— in parua doſi, med. reſoluentia 237
— med. anthelmintica 315
Pyra, victus 111 ſeq.
Pyrethri Radix, med. maſticatorium 57

Q.

Quercus Folia, Cortex, Lignum, Fructus, med. adſtringentia 134

R.

Ranunculus Syluestris 85
Raphani Radix eiusque Succus, med. diureticum 48
Reficiens et refrigerans odor, quid indicet 11
Refrigerans ſenſus quid indicet 10
Remedia vid. Medicamenta.
Reſoluentia Medicamenta 177
— — quae refrigerant 178
— — quae calefaciunt 199
Rhabarbari Puluis in parua doſi, med. reſoluens 237
— — med. antheminticum 316
— Radix eiusque praeparata, med. purgantia 32 ſeqq.
Rosmarinus eiusque praeparata, med. emmenagoga 68 ſeq.
Rosmarini Infuſum acetoſum, med. antiputridum 252
— — — calidum, med. diaphoreticum 43
— — aquoſum, med. antiputridum 252
— Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 272
Roſa Syluestris 134
Roborantia Medicamenta quid 122
— — ſtricte ſic dicta 135

Rubiae

Rubiae tinctorum Radix, med. Roborans 141
Ruta hortenſis eiusque praeparata, med. antiſpaſmodicum 293 ſeqq.
Rutae Infuſum acetoſum calidum, med. diaphoreticum 43

S.

Sabinae Folia 76
Saccharum, med. acrimoniam ſalſam corrigens 263
— — reſoluens 191
— — ſternutatorium 63 ſeq.
Sagapenum Gummi, vid. Gummi.
Sal amarum Sedlicenſe, med. laxans 23
— ammoniacum liquidum, med. reſoluens 182
— — fixum 238
— — Secretum Glauberi, med. reſoluens 183
— — vulgare eiusque flores, med. reſoluentia 183
— catharticum anglicum, med. laxans 23
— commune, med. reſoluens 186
— digeſtiuum Syluii, med. reſoluens ibid.
— mirabile Glauberi, med. laxans 24
— — — — reſoluens 185
— polychreſtrum, med. reſoluens 180
— prunellae, med. reſoluens ibid.
— Seignette, med. reſoluens 181
Salia alcalia volatilia, med. neruina excitantia 274
— volatilia oleoſa liquida, med. neruina excitantia ibid.
Salis ammoniaci Flores martiales, med. reſoluentia 235
— — Spiritus aniſatus, med. antacidum 259
— — — cum calce viua paratus, med. irritans 82
— — — ſimplex, med. antacidum 258
— — — vinoſus, med. antacidum ibid.

Salis ammoniaci Spiritus ſimplex, vinoſus et aniſatus, med. neruina excitantia 274
Saliuantia Medicamenta 58
Salſus Sapor quid indicet 10
Saluia eiusque praeparata, med. emmenagoga 66 ſeq.
Saluiae Infuſum acetoſum, med. antiputridum 252
— — — calidum, med. diaphoreticum 43
— — aquoſum, med. antiputridum 254
Sandaracha Gummi, vid. Gummi.
Santalum rubrum lignum 134
Sapo venetus, med. reſoluens 228
Saponariae Herba et Radix earumque Succus, med. reſoluentia 194
— Succus, med. antacidum 260
Saſſafras lignum eiusque praeparata, med. reſoluentia 213
— ligni Infuſum aquoſum calidum, med. diaphoreticum 42
Saturni Saccharum, med. adſtringens 133
Scammoneum 40 et 319
Scillae Radix, vid. Squillae Radix.
Scordium eiusque praeparata, med. reſoluentia 203 et 207 ſeq.
Scordii infuſum acetoſum, med. antiputridum 252
— — aquoſum calidum, med. diaphoreticum 42
— — — cum Extracto med. antiputridum 254
Scorzonerae Radix eiusque praeparata, Alimentum 109
— Decoctum, med. inſpiſſans 171
— — — inuoluens 241
Sebeſten 99
Secale, alimentum 106
Sedantia Medicamenta 303
Sennae Folia, med. purgans 34
Serpentariae virginianae Radix eiusque praeparata, med. reſoluentia 216

Serpen-

Serpentariae virginianae Infuſum aquoſum calidum, med. diaphoreticum 42
Serpillum 76
Serum Lactis, vid. Lac.
Seuum Ceruinum, med. emolliens 95
Sialagoga Medicamenta 58
Simarubae Cortex 166
Sinapi Semen, med. irritans 80
Soldanella 40
Somnifera Medicamenta 303
Sperma Ceti, med. emolliens 99
Spicae hortenſis Flores 277
Spinacia, med. emolliens 88
Spirituoſus odor quid indicet 12
Spiritus ardens rectificatus, med. exſiccans 102
— Mindereri, vid. Sal ammoniacum liquidum.
Squillae Radix eiusque praeparata, med. reſoluentia 196
— — — — — diuretica 52 ſeq.
Stanni raſura 320
Sternutatoria Medicamenta 61
Styrax liquida 277
— ſolida ibid.
Succini Eſſentia, med. neruinum excitans 273
Succinum eiusque praeparata, med. antiſpaſmodica 289 ſeqq.
Sulphur viuum 239
Syrupus de Cichoreo cum Rhabarbaro, med. purgans 33

T.

Tabaci puluis, med. ſternutatorium 63
Tacamahacae Gummi, vid. Gummi.
Tamarindorum Pulpa, med. lubricans 30
Tanacetum eiusque praeparata, med. anthelmintica 311 ſeq.

Taraxaci Radix eiusque praeparata, med. reſoluentia. 194 ſeq.
— Succus, med. antacidum 260
Tartarus emeticus in parua doſi, med. reſoluens 237
— — med. vomitorium 20
— Solubilis, med. reſoluens 180
— Tartariſatus, med. reſoluens 181
— Vitriolatus, med. reſoluens 184
Tartari Cremor et Cryſtalli, med. diuretica 54
— — — — reſoluentia 207 ſeqq.
— — — — antiputrida 247
— Oleum foetidum 302
— Sal, med. antacidum 257
— Terra foliata, med. reſoluens 181
— Terrae foliatae Liquor, med. reſoluens 182
Terebinthina cocta 225
— veneta, med. reſoluens 224 et 226
— — — antiputridum 254
Terebinthinae Oleum deſtillatum, med. neruinum excitans 272
— — — — reſoluens 227
Thea eiusque Infuſum aquoſum, med. diureticum 51
Theae Decoctum, med. adſtringens 52
Thuris ſ. Thymiamatis Cortex 278
Thymus 76
Tithymali Succus 85
Tormentillae Radix 134
Trifolium fibrinum eiusque praeparata, med. reſoluentia 205 et 207 ſeqq.
— — med. antacida 260
— — — antiputrida 254
Triticum, alimentum 106
Truttae caro, victus 116 et 120
Turdi caro, alimentum 115 et 119

Tur-

Turpethum minerale 320
Tuſſilaginis Folia 98

U.

Ungula alcis 302
Urens ſapor quid indicet 10
— ſenſatio in naribus excitata quid indicet 12
Urtica recens, remed. irritans 85

V.

Vaccinii Baccae rubrae 135
Vaniglia 166
Valerianae Radix eiusque praeparata, med. antiſpaſmodica 295 ſeq.
— — — med. anthelmintica 316
Venena medicamentoſa quid 14
— quid 13
Verbaſci Flores et Folia 98
Veronica 237
Vincetoxici Radix 238
Vina, med. analeptica 280
Vinum enulatum, med. carminatiuum 152
Viperae caro, alimentum medicamentoſum 116 et 119
Viſcidus ſapor quid indicet 10
Vitellus Oui, vid. Oua.
Vitrioli Oleum, med. antiputridum 251
Vitriolum album 21
— Martis, med. anthelminticum 320
— — — adſtringens 127
Vituli caro, victus 114 et 119
Viſcum quernum 302
Vomitoria in parua doſi, med. reſoluentia 237

W.

Winteranus Cortex 166

Z.

Zedoariae Radix, med. anthelminticum 316
— — eiusque praeparata, med. carminatiua 161
Zibethum 279
Zingiberis Radix eiusque praeparata, med. carminatiua 162 ſeq.
Zinci cineres, Med. exſiccans 100



EMENDANDA.

Pag. 5. §. 6 lin. 2. deſouent. l. deuouent. p. 19. §. 40. l. 9. contuſo l. contuſa. p. 32. §. 58 l. 10. deprehenduntur l. deprehendantur. p. 40. §. 67. l. 10. quae l. qua. p. 42. §. 69. l. 23. Ligni guaiaci l. lignum guaiacum. ib. Ligni l. lignum. ib. l. 24. radicis l. radix. p. 44. §. 72. l. vlt. ibidemque l. itidemque. p. 48. § 77. l. 1. chaeropyllum l. chaerophyllum. p. 57. §. 85. l. 7. affectum l. effectum. p. 59. §. 88. l. 17. mucilentis l. macilentis. p. 75, §. 103. l. 4. et l. vel. ibid. l. 5. mobile l. mobili. p. 90 §. 124. l. 6. arctae l. arcte. p. 102. §. 147. l. 3. pungentum l. pungentem. p. 104. §. 150. l. 9. que l. quae. p. 105. §. 152. l. 7. Ad l. inter. p. 107. §. 155. l. 2. particulis *adde* terreis. p. 113. §. 165. l. 3. decocta l. decoctae. ib. l. 4. ingeſta l. ingeſtae. p. 114. §. 167. l. 8. feruecina l. veruecina. p. 116. §. 169. l. *vlt.* ſubtiliſſiam l. ſubtiliſſimam. p. 121. §. 175. l. 2. impediant l. impediunt. p. 126 §. 184. l. 1. vitrioli l. vitriolo. p. 137. §. 197. l. 11. laxitus l. laxitas. p. 144. §. 203. l. 3. que l. quae. p. 149. §. 207. *l. penult.* pallidores l. pallidiores. p. 164. *Not.* Caryophillus l. caryophyllus. p. 180. §. 240. l. 10. denotationem l. detonationem. p. 185. §. 246. l. 15. *deleatur* eſt. p. 199. §. 264. l. 1. que l. quae. p. 210. §. 280. l. 6. bonis l. bouis. p. 232. §. 298. l. 2. infractus l. infarctus. p. 233. §. 299. l. 18. axtractis l. extractis. p. 234. §. 299. l. 17. paaeparata l. praeparata. p. 235. §. 300. *l. vlt.* fulginem l. fuliginem. p. 250. §. 316. l. 14. monet l. mouet. *poſt paginam* 258 *mutentur paginae* 359. *ad* 372 *vsque in* 259 etc. p. 260. §. 329. *l vlt.* fuligio l. fuligo. p. 262. §. 330. l. 23. acidum l. acidam. p. 264. §. 332. l 9. aſſumta l. aſſumtae. p. 265. §. 333. l. 20. vera l. vere. p. 274. §. 340. l. 3. catharrho l. catarrho. p. 286. §. 347. l. 21. conducat l. conducit. p. 297. §. 354. l. *penult.* leui l. leni. p. 302. §. 357. l. 18. ciunabaris l. cinnabaris. p. 310. §. 362. l. 12. athelmintica l. anthelmintica. p. 316. §. 368. l. *penult.* hec l. haec. p. 318. §. 369. l. 14. expellendos l. expellendas. p. 321. l. 13. contuſae l. contuſa. p. 327. l. 15. herbae l. herba. p. 331. l. 4. ſecum l. ſeuum.

INV. 8257